DE VITA ET SCRIPTIS

BERNARDI ZAMAGNAE

Commentariolum

FRANCISCI MARIAE APPENDINI.

DE VITA ET SCRIPTIS

BERNARDI ZAMAGNAE

Commentariolum

FRANCISCI MARIAE APPENDINI.



Bernardus Zamagna
Patricius Ragusinus.

DE VITA ET SCRIPTIS

BERNARDI ZAMAGNAE

PATRICII RHACUSINI

COMMENTARIOLUM

FRANCISCI MARIAE APPENDINI

E SCHOLIS PIIS

ACCEDUNT EJUSDEM ZAMAGNAE CARMINA

EX EDITIS ET INEDITIS SELECTA

ET IN IV. LIBROS DIGESTA.



JADERAE

Typis Joannis Demarchi Typographi Gubernialis

1830.

H. Nask

AD URBANUM FRATREM

E SCHOLIS PIIS

FRANCISCUS MARIA APPENDINI

EX EODEM ORDINE.

Octavus jam annus est, ex quo Bernardus Zamagna gravi litterarum jactura naturae concessit; nec adhuc quisquam Rhacusii, ubi natus fuerat, neque in Italia, ubi diu in magna celebritate vixerat, inventus est, qui vitam ejus conscriberet. Atqui iis erat Zamagna animi, ingeniique dotibus, eaque opera evulgavit, ut non solum inter doctissimos suae aetatis homines recensendus sit, sed cum primis aureae Latinitatis scriptoribus comparandus. Quae res ut jam in caussa fuit, quemadmodum vidisti, Urbane frater, cum Jaderam te conveni, cur elapsis annis omnia de eo scitu digna diligenter colligerem, litterisque mandarem; ita nunc, ut illa eadem, qualiacumque sint, tui etiam ratione in lucem emittam, me vehementer impellit. Quum enim uterque nostrum per triginta fere annos jucundissima Zamagnae consuetudine ita usi simus, ut sibi non modo nos, sed nostrum quoque Scholarum Piarum Ordinem praeclaris benevolentiae significationibus devinciret, non satis gratos in tantum virum nos fore arbitrabar,

si nostram in eumdem voluntatem, et observantiam posteris quoquo modo testatam non faceremus. Dixi quoquo modo. Nam cum mihi tot gravibus curis, et negotiis distento a tribus jam fere lustris vix furtim, atque ex intervallo in mitioribus litteris versari liceat, putabis ne, me quidquam esse allaturum, quod imaginem Bernardi Zamagnae suis pictam coloribus referat, quodque dignum sit sapientum virorum judicio, et approbatione? Sed quidquid sit, en habes Zamaghae vitam tamquam commune grati animi monumentum, cui quatuor etiam ejus carminum libros adjeci. Licet autem omnia ab illo poetice scripta linguae puritate, verborum delectu, et modorum concentu nullum inter se discrimen admittere videantur, cum tamen alia aliis tum rerum, tum argumentorum ratione praestent, ea ex editis, et ineditis selegi, quae non solum auctoris ingenium ad omne genus poeseos factum ostenderent, sed poeticam etiam facultatem profitentibus non parvi usus, et utilitatis esse possent.

Caeterum te non latet, opusculum hoc me Friderico Northio Comiti Guilfordii, uni ex proceribus Regni magnae Britanniae variis de causis inscribere voluisse. Ac primum summopere gavisus esset magnus ille vir, posteritatis memoriae commendari actiones, et virtutes illius, cujus poeticae Latinae versiones Homeri, Hesiodi, Theocriti, Moschi, et Bionis tantum lucis, et ornamenti attulerant Graecis litteris, quas ille Corcyrae incredibili labore, ac sumptibus promovere studuerat. Gavisus, inquam, esset, novissima carmina Zamagnae, quem carissimos inter amicos numerabat, praelo subjecta publici juris fieri. Revera quid mutuo illo inter ipsos amicitiae, et obsequii testimonio praeclarius, jucundiusque? Nam si Zamagna in Anglorum quoque historia, et litteris versatus, postquam illum in Dalmatiae perlustratione Rhacusae cognoverat, de nobilitate, atque opibus familiae Northiorum, de avorum gloria, de ejus dotibus, de doctrina, et eruditione, quam nova semper itinera suscipiendo

rerum, atque hominum nostrae memoriae cognitione supra quam cuique credibile est, amplificaverat, deque tandem illo in litteratos homines, doctosque artifices patrocinio, et liberalitate cum amicis loqui non desinebat, ille contra e remotissimis regionibus modo ad ipsum perhumaniter scribebat, modo, ut de optimi senis valetudine certior fieret, per alios studiosissime satagebat. Hinc nemo jure miratus esset, Zamagnae vitam abs me illius nomini inscriptam in lucem prodire; quamquam, cur ego id facere debuissem, aliae praeterea non deerant rationes.

Atque ego in primis illud minime oblitus fueram, quod semper memorabo, Guilfordium nempe cum primo per litteras, deinde ex colloquiis, et lectione operis, quod de antiquissimis Europaearum gentium, linguarumque originibus tunc prae manibus habebam, quodque ad veterem Geographiam, et Historiam illustrandam peridoneum judicabat, non dubie cognovisset, me quibusdam adhuc libris

indigere, ut possem Celtarum linguam veterem eum Thraco-Illyrica, seu Slava rite comparare, post suum e Dalmatia in Angliam reditum me illis haud talia cogitantem partim e propria bibliotheca, partim aliunde magna molestia, impensaque conquisitis abunde ditavisse; cujus quidem in me studii, ac benevolentiae indicio etsi me nunquam pro meritis responsurum sciebam, avebam nihilominus vehementer, ut quantum illi ego litterulas meas tam liberaliter promoventi deberem, quamquam fideliter accepti beneficii memoriam conservarem, unusquisque intelligeret; quod quidem aliqua ex parte consequi me posse sperabam, si ea, quae de Zamagnae vita elucubraveram, eo fidentius ipsi nuncupavissem, quo magis ejus animum Bernardi recordatione permotum iri non ignorabam. Huc addebatur, quod, cum illum anno 1823 Vindobonae reperissem una cum ejus Nepote tanto patruo dignissimo, sic mecum liberaliter, et amice egit, ut ad caeteras ejus virtutes ex sola humanitate veluti cumulus accede-

ret. Sed proh dolor! dum hoc grati animi testimonium illi parabamus, atque unum hoc illi exoptabamus, ut nempe ad Anglicae gentis decus, et totius rei litterariae incrementum quam diutissime viveret, tristissimum ejus mortis nuncium repente ad nos delatum est, maximoque nos dolore affecit. Haec erant, mi frater, de quibus te, lectoresque nostros, antequam editionem vitae, et carminum Zamagnae Juderae curandam susciperes, monitos volebamus. Quod vero reliqui est, fore non dubitamus, quin Zamagnae carmina Latinis litteris, quae hac laudatissima aetate ad occasum properant, quasque nos publicae instructioni praepositi pro viribus tueri, et propagare debemus, alicui sint incremento, et decori futura. Vale.

DE VITA ET SCRIPTIS

BERNARDI ZAMAGNAE

PATRICII RHACUSINI.

I. Inter urbes Dalmatiae, quae, rebus Romani Imperii per Illyricum penitus excisis, in ora maris exortae sunt, Rhacusa in primis clara est non modo conditorum suorum virtute, et gloria, sed etiam numero illustrium virorum, qui a renatis jam inde litteris ad haec usque tempora unumquodque doctrinae, scientiaeque genus feliciter persequuti sunt. In hac civitate Bernardus Zamagna natus est V. Idus Novembris MDCCXXXV, patremque habuit Marcum Zamagnam, matrem vero Mariam Cabogam, utrumque patricii generis nobilitate, et virtutum laude spectatissimum. Ille enim, qui duobus ante Bernardi ortum mensibus viridi adhuc aetate e vivis sublatus est, ut erat et in religione, et in bonis artibus liberaliter educatus, privatim aeque ac publice inter cives suos sapienter vixit; haec vero, re familiari non solum bene gesta, sed etiam aucta, magnum prudentiae, ac pietatis specimen in liberis praesertim educandis posteritati reliquit.

II. Cum per illud tempus in ea Elaphitum insula, quam modo Jupanam vocamus, sacerdotium, sive, ut dicitur, beneficium sancti Stephani ad Zamagniorum domum de jure patronatus spectans forte vacaret, Bernardus inter Clericos adscriptus est, cumque adhuc esset puer, breves quasdam preces illius Sacerdotii possessioni obligatus quotidie a piissima femina statis horis coram se recitare jubebatur. Sed matris prudentia maxime enituit in magistro deligendo, cui Bernardus domi, ac foris tradi debebat. Cum enim ejus cura, et industria onus instituendi puerum suscepisset Joannes Stullius antiquae probitatis, ac sanctimoniae vir, et in Latinis, Illyricisque (1) potissimum litteris apprime versatus, adeo in illa aetatula, eo duce, profecit, ut quid in posterum praestiturus esset, jam tum conjici indubie liceret.

III. Siquidem traditus in disciplinam hominum Societatis Jesu grammaticam, humanioresque litteras tunc temporis Rhacusae magna cum laude profitentium, aequalibus suis non tantum ingenii, judiciique acie, sed morum etiam gravitate quadam ita praestabat, ut eosdem praeceptores ingenti admiratione afficeret, proindeque omnibus in exemplum ab ipsis proponeretur. Revera insolens, ac pene novum erat, adolescentem sexdecim tantummodo annos natum severitatem in moribus senum propriam praeseferre,

pulcherrimaque classicorum scriptorum loca memoria complectentem Latine jam accurate, cogitateque scribere.

IV. Itaque Rhetorices curriculum in patria emensus, praeceptore Andrea Doria Januensi, qui praeclara Bernardi indole summopere delectabatur, ejus praesertim hortatu Romam versus iter aggressus est anno MDCCXLIII, ibique paucos post dies in domo s. Andreae Societati Jesu nomen dedit. Magistros in tirocinio nactus est pios, doctosque viros Innocentium Gentilium, et Sanctem Guidium, comites vero Josephum Marottum, Stephanum Morcellum, Aloysium Lanzium, aliosque complures, qui nostra memoria et ipsi eximiis sane operibus claruerunt.

V. Exacto probationis tempore, quod totum in homine interiori, hoc est in animo christianis, religiosisque virtutibus efformando, excolendoque perquam utiliter traduxit, quodque ob tam illustres socios vitae studiorumque suorum aemulos felicissimum praedicabat, se rursus, de more Ordinis sui, ad Latinas, Graecasque litteras contulit, ob id certe maxime fortunatus, quod Raymundum Cunichium conterraneum suum in hisce audire sibi contigerit. Neque enim facile dictu esset, quantum Zamagna proficeret, dum illi privatim, ac publice per biennium penitissimi Graecarum, Romanarumque litterarum fontes a tanto viro reserabantur. Certe a Cunichio, ut

in eundem gratus passim fatetur in scriptis suis, didicit in iis omnibus, quae ad veram liberalium artium doctrinam referuntur, et acute sentire, et recte sapere, et tuto judicare, et exspedite praecepta actu perficere. Cupidus experiundi quid jam in arte poetica valeret, Latinum *poema de aucupio accipitris*, quo venationis genere eo tempore Rhacusini se valde delectabant, vigesimo aetatis suae anno nondum expleto, condidit: quod opus ab eodem Cunichio, aliisque doctis viris dignum habitum est, quod in lucem emitteretur (2).

VI. Sed cum hoc tempore ad studium philosophiae gradum fecisset Zamagna, doctore in dialectica, ac methaphysica usus est Francisco Ascquasciatio, in physica vero, et mathesi Rogerio Boscovichio Ragusino et ipso. Atque eo certe majorem, ut mihi videtur, fructum ille ex rebus philosophicis retulit, quo se in iis, quae deinde scripsit, et vulgavit, operibus sapientiorem ostendit. Ecquis se, absque philosophiae artium omnium, ac scientiarum ducis, ac moderatricis cognitione, in oratoria, ac poetica facultate quidquam valere arbitrabitur? Siquidem philosophi nomen, ut ego sentio, illis certe minus convenit, qui ex professo, sed horride, ut plurimum, et jejune pertractant scientiarum principia, ac elementa, quam iis, qui res ad philosophiam quoquo modo pertinentes, ubicumque se se offerat occasio, et

illa, de qua agitur, materies id postulare videatur, in scriptis suis eleganter, copioseque dicunt.

VII. Neque hic, quoniam ad scientiarum tradendarum rationem spectat, illud silentio praetereundum censeo, quod sibi accidisse narrabat Zamagna; se nempe, dum geometricis lectionibus Rogerii Boscovichii interesset, veluti inter spinas, aut in eculeo quandoque versari credidisse. Nam summus ille philosophus, dum figuras parieti appensas virga designans explicabat, incredibilemque ingenii sui celeritatem sequebatur, ita in altum, intermedias sibi perspectas notiones omittens, atque unam ex alia re deducens, sermone ferebatur, ut ne consumatissimi quidem in eo stadio, nedum tirones illum mente assequi potuissent. Inter haec Bernardus taedio affectus, impatiensque, quod, quae tradebantur, eadem clare intelligere non posset, hominem Illyrica lingua interpellabat ad propositum blande revocando, privatimque postea admonebat, ne ab iis, quae in illa lectione rerum geometricarum adhuc ignaris enucleanda erant, longius vellet in docendo aberrare. Atque id non ea certe mente recordabatur Zamagna, ut immortalem tanti viri, et collegae sibi amicissimi famam, ac merita quasi invidus carperet, sed ut illis, quos alloquebatur, magistris palam faceret, longe melius auditorum utilitati a praeceptore consultum iri, qui se inter praescriptos rerum ex-

plicandarum fines contineat, licet non multa sit doctrinae suppellectile instructus, quam a summis viris, qui ad scribendum potius, quam ad docendum videntur esse a natura facti, et comparati.

VIII. Confecto philosophiae cursu Interremnam primum in Umbria, Liburnum deinde in Thuscia ad docendum a moderatoribus Societatis missus est. In quibus urbibus, ubi incertum erat, utrum ingenio magis, et doctrina, an vitae innocentia, morumque facilitate floreret, quamquam magistri munere distinebatur, nihilominus subsecivis horis *poema de Echo* duobus comprehensum libris concinnavit, fratrique suo Marco egregio philosophiae, et politiorum litterarum cultori nuncupavit, quod opus cum Romae, unde tunc aberat, exoptaret, ut typis mandaretur, editionis curandae negotium dedit praeceptori suo Raymundo Cunichio, qui elegantissimis versibus illud inscripsit Principi Boncompagno Ludovisio munifico litterarum patrono (3). Certe judicium, quod ab ipso Cunichio, a Benedicto Stayo, et a Michaele Morejo, ne alios commemorem, de hoc opere latum est, eo pluris faciendum videtur, quo majori viros illos auctoritate inter doctos valuisse, aut quo cautiores in judicando eosdem fuisse compertum est. Qui vere poeticen novit, is probe scit, quam invite argumenta philosophica ad poeticam formam redigantur, nativoque Musarum lepore exornentur. Quid

vero dicam de episodiorum delectu, et collocatione, sine quibus legentium voluptas prorsus elanguet? Haec omnia ita a Bernardo inventa, disposita, atque exornata sunt in hoc opere *vocis reflexae*, ut hoc uno tantum opere magni poetae nomen mereretur. Revera qui illud leget, paullisper immoretur in iis, quae poeta loquitur de novis circa res physicas inventis, de repulsione vocis cum imbris lapsu, delphinorumque natatione, de studiis, et operibus civium suorum Benedicti Stayi, et Rogerii Boscovichii, de utilitate rerum philosophicarum, et praesertim astronomiae prae rebus Mythologicis, quae in scriptis poetarum memorantur, deque aliis hujusmodi, certe is non mirabitur, quod altera extemplo hujus poematis editio fieret apud Germanos.

IX. Caeterum Zamagnae consilium operis sui per Raymundum Cunichium Romae edendi magnum Graecis, Latinisque litteris attulit beneficium. Etenim Cunichius, qui quo doctior, eo modestior erat, cum toties incassum ab eruditis amicis tentatus fuisset, ut suarum latinarum versionum specimen aliquod ex Homero, Callimacho, et Graeca Antologia in lucem daret, nonnisi Bernardi rogatu sibi tandem persuasit, ut in eundem librum illud conjiceret; ex quo factum est, ut, cum hujusmodi exemplum doctis viris summopere probaretur, facilius postea integras versiones praelo subjiceret.

X. Vix quartus ab hujus poematis editione annus praeterierat, cum jam aliud item typis committendum proesto habuit Zamagna, *Navim scilicet Aeriam*, et *Elegiarum Monobiblon de magna Dei Matre*. In hoc quoque edendo opere, quod Marino fratri suo, qui et ipse poeticam non sine laude attigerat, dicavit, ejusdem Cunichii opera usus est (4). Hic librum, Bernardi nomine, inscripsit Marchioni Joanni Patricio utriusque amicissimo, atque in elegia, quam eidem libro praemisit, praeter proprium, Benedicti etiam Stayi, et Philippi Bonamici de opere judicium retulit. Et certe doctissimis illis viris facile assentietur quicumque ea praesertim leget, quae de America detecta, de itinere, quod ad ipsam meditabatur Boscovichius, et de valetudine, ut reliqua missa faciam, ab Imperatrice Maria Theresia recuperata graphice describit. Oratio sponte sua ubique fluens, et collustrata, et rerum copia, stilique magnificentia, ubicumque id postulat argumentum, poetam, me judice, mirum in modum commendant.

XI. Quod vero ad ejus elegias attinet, quas grandiloquentiae, et affectuum plenas merito vocat Cunichius, non eam Zamagna ipsarum condendarum rationem, quam Latinorum propriam Ovidius, Tibullus, aliique tenuerunt, sed Catullianam a Graecis accitam amplexus est, Cunichium suum inter recentiores Latinos poetas in hoc genere facile principem, ipsum

deinde Callimachum, et Mimnermum secutus. Qui autem Catullianum morem Tibulliano praeferunt, non solum Bernardum aequiparant, immo anteponunt Francisco Zanotto, qui idem argumentum, laudes videlicet Beatissimae Mariae Virginis elegiaco carmine prosequutus est, librumque suum anno 1751. vulgavit. De qua re siquis sententiam nostram roget, dicam apertissime, quod alibi a nobis dictum est (5), quodque Zamagna haud invitus pluries fassus est, Latinas scilicet elegias scribentibus, praesertim si Graecae linguae ignari sint, Tibulliana via omnino esse incedendum. Quidquid vero sit, certum tamen est, Zamagnam Catulli, seu potius Graecorum genus elegiacum ad eam sublimitatem, cujus vix capax credebatur, quam felicissime perduxisse; quod aperte colligitur tum ex his sacris elegiis, tum ex illis ad Cunichium, Spergesium, aliosque diverso tempore conscriptis; immo, cum ejus elegiam attente considero de morte catellae Comitis Firmiani, quam novum in coelo sidus factam dicit, et ad quam detegendam invitat clarissimos Brerae Astronomos Franciscum Regis, et Michaelem Angelum de Caesaris, quamvis argumentum hujusmodi cum Catulliano de coma Berenicis congruere quodammodo videatur, tantum tamen abest, ut quidquam a Catullo in sententiis, aut verbis mutuetur, suisque inserat, (a qua culpa censores nimium fortasse severi immu-

nem non faciant Sannazarium, Vidam, et Fracastorium in veteribus imitandis) ut immo eamdem ipse videatur laudem adeptus, quae Andreae Navagerio data est, cum Catullum circa passerem Lesbiae imitatus Canis Borgeti interitum novo prorsus atque elegantissimo modo deflet, ac lamentatur.

XII. Quinquennio post Romam revocatus Zamagna universae Theologiae a Gaspare Segovia, Hyacintho Stoppinio, et Joanne Baptista Favre, viris multae existimationis, et doctrinae, rudimenta accepit; ad quod sane studium, uti ad reliqua, licet se pronum maxime sentiret, atque illi diligenter vacaret, sibi tamen temperare non potuit (quod etiam fecerat, dum philosophiae operam daret) quin ad Musarum cultum, ad quem natura ferebatur, quandoque reverteretur. Quae res cum ejus moderatoribus minus probaretur, quasi id Zamagnae jam impedimento fuisset, quominus tantum, quantum potuisset, in sacris litteris progressus fecisset, aut juvenem in theologia ediscenda occupatum quodammodo dedeceret poeticae intendere, ob hanc rem adeo ille commotus est, ut se nihil de theologiae studio detraxisse poesim excolendo, non verbis, sed re ostendere constituerit. Quare jam percepta, et audita attentius recolens, et nova in dies percipiens, tanta corporis, animique contentione in sacras litteras incubuit, ut incideret in morbum, et phthisi laborare crederetur.

Sed cum medicorum consilia secutus se pristinae paucos post menses valetudini restituisset, objecissetque publicae illi disputationi, quae *Actus Magnus* a Lojolitis vocabatur, quaeque post quartum studii theologici annum fieri solebat, ita se in illo periculo gessit, ut severissimorum etiam virorum judicio, atque expectationi omnino satisfaceret. Hinc propter tam luculenta ingenii doctrinaeque specimina, quae in illa disputatione de universa theologia praebuerat, a Rectoribus Societatis immunitas illi data est alterum de rebus item theologicis periculum faciendi, eum anno 1770. Senis in Ordine suo solemnibus se votis obstrinxit. Atque ita quo tempore nonnulli, qui unius theologiae studio operam dabant, doctoris gradum vix obtinebant, illo eodem Zamagna et doctoris, et poetae praestantissimi lauream consequutus est.

XIII. Post haec Romae peracta Senas mittitur nobilibus adolescentibus in collegio Ptolemaeo Latinas, Graecasque litteras traditurus. Quo cum pervenisset, statim iis horis, quae a religiosis, et scholasticis occupationibus sibi supererant, ad Homericae Odysseae versionem, quam in urbe jam incoeperat, manum admovit. Nemo certe ex hujusmodi Bernardi consilio, ac labore majorem voluptatem cepit, quam Cunichius, qui eo tempore Illiadem a se Latinis versibus expressam limabat, perpoliebatque. Quemadmodum enim expertus didicerat, onus hujus-

modi, ut ut gravissimum, ejus humeris impar non esse, propterea quod divitem in eo ingenii venam, et interpretandi, scribendique usum aequabat perfecta utriusque linguae cognitio, summopere laetabatur, quod civis, et discipulus olim suus eodem sese in studio exercere statuisset. Quamobrem, postquam per litteras illum Raymundus admonuerat, excitaveratque, ut incoeptum opus urgeret, perficeretque, litterariae Reipublicae, tamquam Zamagnae nomine, notissimo illo epigrammate Iliadi praemisso pollicitus est, Odysseam brevi quoque in lucem prodituram; at Zamagna ejusdem Cunichii exemplo antea voluit, ut specimen quoddam extaret, unde tute perspiceretur, qua ratione res Graecorum interpretaretur, easque Latinas redderet. Itaque Scutum Herculis, hoc est pugnam, quam Hercules cum Cycno habuit, ex Hesiodo Latine versum Senis edidit, atque Alphonso Marsilio dedicavit. Ita non multo post doctorum hominum judicio confisus, atque erectus anno 1777. in eadem urbe Senarum *Odysseam* vulgavit, eique praemisit epigramma, quod illius, quod supra nominavimus, comparationem minime reformidat (6). Caeterum opus suum Petro Leopoldo Austriaco magno Hetruriae Duci, a quo magni habebatur, dicatum voluit longiori sane carmine, sed pervenusto. Nec minoris habendam censeo praefationem operi praepositam, in qua Tulliano ore multa sapienter de Ho-

mericorum poëmatum praestantia, optimoque interpretandi genere disserens admirabilem illam, qua in opere perficiendo usus est, industriam, ac diligentiam modestissime patefacit, et declarat. Hinc mirum non est, quod qui poeta a natura factus, et arte expolitus ab adolescentia, quemadmodum ipse testatur, Graecarum rerum studium cum Latinis semper conjunxerat, quique Homerum prae reliquis, et Virgilium semper amaverat, ille idem optimi interpretis, optimique poetae in Odyssea vertenda partes omnes expleverit. Neque aliter de hac re senserunt viri clarissimi Andres, Tiraboschius, Raynaldus Carli, et Baro Spergesius, quorum postremus eamdem Zamagnae ob versionem Odysseae, quam Cunichius ob Iliadem interpretatam consequtuus fuerat, laudem tribuere non dubitavit (7).

XIV. At sub idem fere tempus cum, extincta Societate, collegium Ptolemaeum, ubi degebat Bernardus, a magno Duce Hetruriae Patribus Scholarum Piarum traderetur, ille se in Alphonsi Marsilii, collegae sui amantissimi, domum recepit; penes quem dum nihil omnino de religiosae vitae ratione immutans, quippe qui erat Instituti sui observantissimus, Theocritum, Moschum, et Bionem Latine interpretandos aggreditur, ab Imperatrice Maria Theresia Graecas litteras publice docendi causa Mediolanum vocatur. Cum enim permunificam illam bonarum ar-

tium patronam, aequissimamque ingeniorum fautricem non fugeret, quantum Zamagna in Graecarum rerum cognitione valeret, idcirco scholam Graecae linguae Mediolani institui jussit, ut Bernardus scilicet eidem doctor praeficeretur. Sed licet diu ille, multumque animi penderet, in Hetruria ne, ubi Magni Ducis, ejusque Aulicorum gratia, et patrocinio fruebatur, fixum haberet domicilium, an reverteretur in patriam, in qua anxie expectatus a suis tranquillissimam vitam degisset, amicis tamen obsequens non sine gravissimo Senensium dolore, et molestia oblatam sibi conditionem accepit. Senarum enim cives aegre ferebant discessum hominis, qui in eorum urbe Latinas, Graecasque litteras magno cum plausu, et utilitate docuerat, quique omnium animos sibi devinxerat vitae innocentia, et morum comitate.

XV. Itaque anno 1779. ineunte, dum fama ejus adventum praegrediebatur, Mediolanum pervenit, ibique brevi factum est, ut majori, quam alibi, existimatione, et auctoritate polleret. Quoties enim Ferdinandum Austriacum totius Insubriae Proregem, ejusque sapientissimam conjugem Mariam Beatricem Estensem, cujus praeclaras laudes non uno operum suorum loco celebravit, publice, aut privatim adibat, nova toties ab humanissimis Principibus aestimationis, benevolentiaeque testimonia referebat. Statim quoque occasionem nactus est gratiam ineundi

cum Comite Firmiano, et Baronibus Wilzeckio, et Spergesio Caesarianis in illa aula consiliariis, et administris, qui, cum essent et litterarum cultores eximii, et de ipsis ob liberalitatem in viros doctos, optime meriti, Zamagnam in primis carum habebant. Item etiam familiaritatem assequutus est illorum fere omnium doctissimorum virorum, qui tempestate illa bonas artes, et studia a Graecia, et Latio in Insubriam traducentes immortalem seculo Imperatricis Mariae Theresiae famam pepererunt. Caeterum inter haec, atque alia, quae Zamagnam in urbe ad animi recreationem veluti facta a studio, et labore avocare posse aliqua ex parte videbantur, non modo ille consuetas occupationes non intermisit, immo majorem etiam, quam antea, lectioni, et scriptionibus suis operam navavit. Quare mirandum non est, quod omnia Hesiodi, Graecorumque Bucolicorum poetarum opera abs se Latine jam versa celeriter emendaret, et Parmae, quo autumnalibus feriis divertebatur, Bodonianis typis elegantissime ederet (8).

XVI. Atque ut de Hesiodiana versione a Bernardo confecta aliquid dicamus, notum in primis est, hujus Graeci Poetae, quae supersunt scripta, Theogoniam scilicet, Opera, Dies, et Scutum Herculis non modo rerum, quas continent, discrimine, sed etiam in stili, quo conscripta sunt, varietate longe esse inter se diversa. Theogonia praesertim, seu ge-

neratio Deorum tot tantaque loca habet ita intellectu, ne dicam verbis relatu difficilia, ut optimum quemque interpretem ab incoepto deterruisset. Opera vero, et Dies, in quibus Hesiodus agit de agricultura, de navigatione, de justitia, aliisque hujusmodi, certe amoeniora sunt, et ad poeseos ornamenta magis accomodata; sed, cum veteres Hesiodum scientiae Politicae, Moralis, et Economicae, ut Homerum earum disciplinarum omnium, quae ad humanas actiones sapienter instituendas idoneae sunt, parentem, ac magistrum revererentur, tot ac tantos idcirco cum antiquos, tum recentes interpretes, atque explanatores habuit, ut acerrimum unius Bernardi judicium in tanta rerum discrepantia, ac varietate Hesiodi mentem in illo interpretando vertendoque assequi potuerit, atque in immensa rerum farragine ea, quae abs re minime essent, in illo nobis illustrando tuto retinere. Quare Bernardi notae, ac commentaria, quibus singula Hesiodi opera tum in sententiis, tum in verbis explanat, illustratque, propria sunt sapientissimi interpretis, qui ad metam semper festinans ea omnia, quae in eruditione licet peregrina parum ad rem faciant, rejicit, et aspernatur. Sed si a tot tantisque difficultatibus ut interpres se tanta cum laude expedivit, ut, quibus opus suum antea ostenderat, illi vehementer hortarentur, ut Graecum textum Latinae versioni apponeret, quo

facilius eruditi lectores inter Hesiodum, et ejus Interpretem comparationem instituerent; num illis, quae ad poetam spectabant, minus egregie functum putabimus, cum nova quotidie ex tam longa, assiduaque et legendi, et scribendi exercitatione adjumenta referret, eamdemque, qua in Odyssea vertenda usus fuerat, curam, et diligentiam adhibuerit?

XVII. Hesiodianae Theogoniae interpretationi, quam pulcherrimo heroico carmine nuncupavit Maecenati suo Archiduci Ferdinando Austriaco, eruditissimam praefationem, seu potius dissertationem adjecit Zamagna, in qua epocam, qua Hesiodus florebat, diserte statuit, ejusdem vitam eleganter describit, et Theogoniam nova quadam, ingeniosaque hypothesi, quam Comes Raynaldus Carli vehementer probaverat, quadrifariam dispescens, ad primam physicam, politicam, religiosam, et historicam Mundi constitutionem referendam esse luculenter ostendit. In quibus sane rebus enucleandis ea licet aetate viveret, in qua plurima de creatione mundi, de prima hominum societate, ac religione, deque aliis hujusmodi ob nimiam cogitandi licentiam intemperantissime scripta fuerant, tantum tamen abfuit, ut philosophantium somnia, ac deliramenta aliquid esse putaret, ut ne lato quidem ungue in notis, ac commentariis suis a Mosaica narratione, et veritate Catholica discederet.

XVIII. Verum eo majus sane decus ex interpretatione Theocriti, Moschi, et Bionis Bernardo obvenit, quo erat difficilius, postquam Homerum, et Virgilium in epico, Hesiodum, et Lucretium in didactico, et Catullum in elegiaco sequutus fuerat, se in bucolico quoque stilo pari cum laude exercere. Sed haec, licet difficillima, a magnis tamen ingeniis superantur. Quamobrem Bernardus, qui partim naturae munere, partim Graecorum, quibus Musae ore rotundo loqui dederant, imitatione versum habet, ubicumque res paullo altius assurgit, ita gravem, ac numerosum, ut multo minus, quemadmodum egomet a pluribus inter doctos Romanos accepi, in sublimi, ac magnifico Iliadis, quam in aequabili, pacatoque Odysseae poemate vertendo insudasset, tam mira facilitate auream illam Theocriti, Bucolicorum principis simplicitatem nativosque lepores ad suam interpretationem traduxit, ut nati in Latio, non inserti videantur. Quam gratus, bone Deus, ac suavis haec idyllia legentium auribus numerus, et concentus! Quo voluptatis sensu perfundimur, dum haec eadem idyllia a Zamagna Latine translata cum Virgilianis eglogis hoc quoque Graeco pulvere conspersis comparamus! Quemadmodum enim ex hac collatione perspicimus, Virgilium Graecorum vestigiis insistentem non tam eorum idyllia imitatum esse, quam de novo eglogas finxisse, ac produxisse; ita Zama-

gnam admiramur, ea Latine dixisse novo quodam, egregioque modo, quae Virgilius ex Theocrito decerpta jam antea Romana lingua donaverat. Hinc mirum non est, quod tam difficilem imitandi rationem sequeretur in iis etiam idylliis, et eglogis, quas in morte Liviae Caraffae, in nuptiis Abundii Rezzonici Senatoris Romani, et in aliis hujusce generis argumentis marte suo composuerat.

XIX. Nec vero hic est abs re meminisse, idyllia quaedam Theocritaea, nimirum I. II. IV. VIII. XVIII., XXI., et XXIII., quae Latina fecerat Cunichius, Zamagnam retinuisse, itemque suam editionem adoptasse tamquam ornamento futura. Ajebat enim Bernardus: *magnae temeritatis, vanique nisus fuisse ea tangere, quae semel Cunichius Romano cantu pangere agressus esset*. Censuit tamen ea esse abs se supplenda, et restituenda, quae Cunichius ex illis idylliis data opera omiserat. Quam quoque rem praestitit Bernardus in idyllio Bionis de nuptiis Achillis cum Deodamia; cujus idyllii parvum tantummodo fragmentum superesse norunt eruditi (9).

XX. Propter haec, de quibus hactenus locuti sumus, ingenii monumenta, et singularem, qua praeditus fuerat, animi bonitatem, multorum Bernardus sibi amicitiam, benevolentiamque comparaverat, inter quos eminebat in illo honorando Princeps Carolus

Albanus, domus Archiducis Ferdinandi Praefectus, Cardinalis Durinius, atque alii complures summae auctoritatis, et doctrinae viri, qui secum in urbe, et ruri illum habere inter se quodammodo decertabant. Hinc jam fore videbatur, ut *Zamagna*, cum alia ei non deessent commoda, quae litterarum cultoribus necessaria sunt, et sine quibus plerumque ex hac vita decedunt, numquam esset Mediolanum relicturus. Nam praeter pensionem, quam ab Hetruriae Duce, ut Iesuita, quotannis accipiebat, et professoris stipendium, quod scriptis suis amplificaverat, ex quo Maria Theresia ad ingenia excitanda jusserat, ut augeretur stipendium praeceptoris illius, qui novum aliquod opus in lucem dedisset, non parva insuper, si illis indiguisset, adjumenta habebat a domo paterna. Attamen ex Insubria, cum minus id cogitabat, discedere debuit.

XXI. Etenim cum anno 1783. e duobus ejus fratribus Marcus natu major, qui rem familiarem curabat, e vivis cessisset, et Marinus natu minor, unicus e tota familia superstes, jam fere a pueritia infirmae mentis, et valetudinis esset, eo celerius in patriam reditum suum maturandum censuit, quo majori et fratrem adjuvandi, et rem domesticam ordinandi desiderio flagrabat. Discessionis igitur venia ab Austriaco regimine obtenta, ea tamen conditione, ut sextum intra mensem reverteretur, protinus

se in viam dedit. Mantuae, Veronae, Patavii, et Venetiis per aliquot dies moratus est, ut illorum urbium magnificentiam, et ornamenta intueretur, nonnullosque praestantes viros, quos colebat, et a quibus colebatur, de facie nosset, praesensque salutaret. Post haec Tergestum primo, Polam deinde, et Spalatum adnavigavit. In his urbibus celebriora, quae adhuc supersunt, Romanae majestatis monumenta summa cum voluptate observavit. Quamquam enim Bernardus antiquitatis studio ex professo minime vacavisset, nihil tamen in ea erat, quod lectionis ope cognitum non haberet, quodque, si potuisset, praesens noluisset intueri. Spalato tandem Rhacusam advenit, quae, ut erat tam illustrem civem videndi impatiens, eum peramanter, atque honorifice excepit.

XXII. At non multo post, ex quo in patriam venerat, sive quod reapse domestica negotia perpetuam ejus praesentiam postularent, sive, quod verosimilius arbitror, amor nativi soli illum ad se blande pertraheret, privatamque vitam honoribus omnibus, quos praeclara ejus in rem litterariam merita paravissent, longe potiorem duceret, Mediolanensi regimini significavit, se, quandoquidem domesticarum rerum cura praepediebatur, a professoris munere abdicare; ad quae sic Caesariani Administri: Bernardum nempe, quandoquidem aderat, qui ejus vicibus

fungebatur, tantum sibi posse dilationis sumere, quantum ad res suas undequaque componendas requireretur; stipendio perinde, ac si Mediolani esset, quamdiu fuisset Rhacusae, fruiturum; et si, quemadmodum sperabant, ad munus suum rediisset, haud multo post Vindobonam, ubi ejus ingenium, ac merita perspecta erant, accitum iri. Eodem tempore non una ad illum amicorum perlata epistola, in qua, ut ad urbem Insubriae principem cito reverteretur, etiam atque etiam exhortabantur. Sed ille in suscepta ratione fortis, et constans Regiis Administris de abdicatione iterum, atque iterum scripsit, qui tunc illi solummodo assensere, cum integritatem suam stipendium, quod indebite adhuc percipiebat, accipere posthac haud pati professus est. Tam invite Aula Austriaca se homine privari passa est, per quem Mediolanensium Scholarum decus adhuc augeri posse arbitrabatur.

XXIII. Quamquam hujusmodi Zamagnae consilium suos ipsos inter cives statim improbatum est. Prudens enim quisque facile intellexit, illum, etiamsi doctrinam, et eruditionem suam lectione non intermissa in immensum veluti, ut revera accidit, auxisset, et aliquando a penu poetico quidquam etiam deprompsisset, nullo tamen insigniori opere Rhacusae degentem litteras fuisse locupletaturum. Et sane si eas Rhacusae, quae Mediolani, aut alibi vel in-

vito non defuissent, scribendi occasiones nactus esset, cum triginta sex, ex quo ad patriam remigraverat, annos adhuc vixisset, ecquid hoc temporis spatio non praestitisset magnus ille vir, cum minori intervallo tot, tantaque ab ipso fuissent praestita?

XXIV. Sed cum Rogerius Boscovichius anno 1786. Mediolani decessisset, et Senatus Rhacusinus tanto civi exequias, monumentum, et laudationem decrevisset, licet multi Rhacusae eo tempore florerent laude eloquentiae, unus tamen prae reliquis Zamagna Senatus-consulto dignus habitus est, qui virtutes ejus, actionesque in funere publica auctoritate magnifice apparato oratione prosequeretur. Neque sua Senatum fefellit opinio. Bernardus enim, qui a prima adolescentia summam cum Boscovichio consuetudinem habuerat, eamdemque vitae rationem fuerat unà tot annos Romae professus, utpote qui erat in arte dicendi peritissimus, impositae sibi provinciae ita satisfecit, ut nihil esse queat laudatione illa funebri magis latinum, nihil ad artis Rhetoricae normam exactius, nihil Rogerii, ac Rhacusae nomini honorificentius: siquidem illud in ipsa demonstravit, Rogerium Boscovichium ingenii et magnitudine, et foecunditate, et celebritate maximum fuisse Rhacusinae urbis ornamentum (10). Aliud quoque eloquentiae specimen, nec minori plausu, et acclamatione ab eruditis viris auditum, et exceptum Zamagna jam

dederat, cum anno 1772. Tiberio Burghesio Senensium Archiepiscopo renuntiato pubblica oratione gratularetur (11).

XXV. In eo quoque vehementer commendandus est Zamagna, quod cum maxime exoptaret, ut nobilis vir Ioannes Bosdarius, ejus ex sorore nepos, modo Imperatoris Francisci I. Cubicularius, in aliqua Italiae urbe liberalibus artibus, ac disciplinis institueretur, eamdem ipse Rhacusa Senas deduxerit, atque ultro in collegio Ptolemaeo erudiendum tradiderit Patribus Scholarum Piarum, inter quos ingenii, et doctrinae laude praecipue tunc temporis florebant Iosephus Solarius, Eustachius Fiocchius, Ferdinandus Gorius, et Urbanus Lampredi (12). Adeo vero Senenses amabat Zamagna, ut longiorem, quam vellet, in eorum urbe tunc moram faceret, bisque adhuc eos conveniret jucundissima praesertim consuetudine illectus, et detentus Alphonsi Marsilii, qui, cum eo tempore Senarum esset Archiepiscopus, Ecclesiam illam maxima prudentia moderabatur.

XXVI. Vix Bernardus Ancona Rhacusam appulerat, cum iter aliud in Italiam suscipere coactus est. Exorta inter Sanctam Sedem, et Rempublicam Rhacusinam controversia quadam, cum res in dies magis implicaretur, Romam ad Sanctissimum Pontificem Pium VI. orator a Senatu missus est. Quo

simul atque pervenit, sistitque se summo Pontifici, cum hic, dum loqui ille coeperat, quasi subiratus exclamaret, se non cognoscere legatum Reipublicae Rhacusinae, quae quid sibi in ea re faciendum esset, jam probe sciebat, at Sanctitas vestra, inquit, Bernardum Zamagnam Rhacusinum certe cognoscit: cui subridens Pontifex magna honoris, et benevolentiae testimonia verbis humanissimis dedit, et libere loqui de re passus est, ita ut negotium illud dein facilius ad optatum exitum perduceretur. Romae certe, ubi per plures menses constitit, nihil illi gratius contigit, quam rursus tot virorum et nobilitate, et doctrina praestantissimorum, quibus familiariter antea usus erat, alloquio, et societate posse frui. Sed pleramque diei partem cum amicis, et popularibus suis carissimis Benedicto Stayo, et Raymundo Cunichio transigebat; nec mirum, quod, cum ipsi unà simul rheda, vel pedibus per urbem deambularent, quasi sors tam illustrem triumviratum coegisset, a praetereuntibus non sine admiratione digito monstrarentur.

XXVII. Caeterum et aliàs, dum Senis privatus agebat, Senatus Rhacusinus Bernardi opera usus erat; quod, cum in patriam magnum ejus studium, et charitatem patefaciat, silentio idcirco praeteriri non debet. Petrus Leopoldus Archidux Austriae cum magnus Hetruriae Dux creatus fuisset, et plurimum

interesset Reipublicae ad Rhacusinae navigationis prosperitatem Principis illius gratia, et favore potiri, licet Senatus Ministrum, sive Consulem suum Liburni haberet, per quem res illa agi quodammodo oportebat, Zamagnae tamen, qui multum existimationis apud Florentinos jam sibi collegerat, Leopoldo de novo regno adepto gratulandi munus demandavit; qua quidem legatione egregie perfunctus est. Etenim magnus Dux Bernardo pollicitus est, (et promissis perpetuo stetit) se navibus, et mercatoribus Rhacusinis, a quibus Liburnensis portus assidue frequentabatur, numquam defuturum. Cum vero Senatus et sumptus in legatione factos, et donum praeterea illi parari juberet, utrumque constanter recusavit, hoc uno maxime contentus, quod patriae scilicet, cujus erat amantissimus, operam suam, qualis qualis esset, praestare potuisset.

XXVIII. Per illos dies Gregorio Lazzari Archiepiscopo Rhacusino vita functo, a Canonicorum collegio, etsi de eorum numero non erat Zamagna, Vicarius Capitularis cunctis suffragiis renunciatus est, Sacram rem, Sede vacante, ea prudentia administravit, ut Aloysius Spagnoletti e Franciscana familia, qui ob doctrinam, singularemque morum, et vitae cultum in Gregorii locum suffectus est, Bernardum suum Vicarium Generalem nominaverit, et Nicolaus Ban, qui Aloysio in episcopatu successit, eo-

dem ipso in munere ultro confirmaverit; in quo quidem munere exercendo, etsi ab initio se in quibusdam negotiis ob vitae suae institutum immiscere non posse, aperte professus esset, in gravioribus tamen rebus sententiam suam libere dixit; ita ut per quinque fere lustra Praesules illos asperrimis temporibus consilio, et auctoritate sua in Rhacusina Ecclesia regenda plurimum adjuverit. Ex quo factum est, ut et ipse, cum Ecclesia Tribuniensis, et Mercanensis Antistite suo vacaret, ad illam sedem a Senatu designaretur. Sed quo momento temporis nuncium electionis accepit, eodem ipso delatum munus recusans maximas ob tam honorificum de se judicium Senatui gratias egit.

XXIX. Post utriusque fratris obitum cum sibi paternorum bonorum possessio, quod Loyoliticum institutum solemniter professus fuerat, sibi contenderetur, maluit ad compositionem devenire, quam litigando pacem amittere. Itaque reservata sibi, donec viveret, domo in urbe, atque suburbio, cum haeredibus ita transegit, ut, praeter certam quotannis, quandiu in vita foret, pecuniae summam, tantum praeterea tritici, vini, et olei, quantum sibi, familiaeque suae necessarium esset, ab ipsis suppeditaretur. Hoc pacto liberatus a molestissima cura praediorum, licet minoribus instructus, eorum tamen securus, quae ad victum, cultumque requirebantur,

eam coepit vitam vivere, qua nihil felicius (si quidquam heic in terris felix est) mente poterat effingi. Omnis autem ejus vitae ratio erat hujusmodi. Mane totum fere ab eo inter orandum, et legendum insumebatur, cum nemini fere ad ipsum, nisi gravioris rei causa, aditus pateret; paullo ante meridiem domo egrediens in Aede divi Francisci Sacro intererat, factaque non longa deambulatione, propinquos, et amicos conveniebat. A prandio, post paullum quietis, sacras insequentis diei preces recitabat, atque iis postea familiariter, blandeque utebatur, qui ipsum adirent. Sub vesperam inambulabat longius, et primas tandem noctis horas vario sermone traducebat penes amantissimos sui patricium virum Orsatum Raguinam illum seniorem, et Catharinam Bondam ejus conjugem; quorum domus, eo quod essent facillimis moribus, et humanitate singulari, non solum ab advenis, et primoribus civitatis, sed etiam ab aliorum ordinum hominibus assidue frequentabatur. Venationis quam qui maxime amans totum autumnum cum famulo quodam suo, venatore celeberrimo, quem Sancium Pansam vocabat, ruri agebat; nec est, quod heic ego referam, quantum illi ad valetudinem ejusmodi exercitatio conferret, quamque laete hoc anni tempore ruri viveret, cum ex ejus epistola ad Catharinam Raguinam data id colligi abunde possit. Cum firmis ille adhuc erat viribus,

quo vicinior mane esset loco a coturnicibus magis frequentato, pagum Bergati in altissimo monte situm incolebat; aetate vero devexa planitiem Canalitanam, ubi bis (prima enim ab incolis montis Nigri contra Gallos pugnantibus incensa fuit) domum sibi aedificaverat. Quem quidem locum extrema jam ac prope decursa aetate cum neque pedibus, neque equo adire posset, se illuc lectica transferri jubebat.

XXX. Inter haec non illi tempus deerat plura poetice scribendi. Atque in his, ni fallor, praecipuum locum obtinent epistolae quaedam (13), in quibus monitoris partes plerumque agens seria ludicris sic intermiscet, ut lectoris animum mira capiat voluptate. At quisquam, ut jam ipse sibi, iisdem pene, quibus nos utimur, verbis reponet, Horatianum in hisce epistolis non esse, cum tamen Horatium sequi voluisse fateatur. Esto. Et plures ante Zamagnam idipsum ausi sunt. Quid inde? An non Bernardi epistolae aeque, ac omnia ejus scripta, purissimo Latino sermone conscriptae? An non vario, utilique doctrinae genere refertae? An non ubique et stilus, et versus generi conveniens, et sententia sibi constans, et ordo lucidus, et mollis lepor, et decus festivum? Nec vero mirandum est, cum ille de rebus patriis ad parentes scriberet, amicos laudaret, mores, et vitia civitatis magna libertate carperet, ubi primum opus hoc in lucem emissum est,

non omnibus placuisse. At longe aliter, extincta invidia, erit judicium posteritatis. Laetabuntur siquidem posteri, quod per has epistolas et Zamagnae ingenium, quod in multis earumdem locis interlucet, et mores Rhacusinae civitatis, quae seculo XVIII. exeunte a pristina severitate desciverant, cognosci possint. Quod si his iisdem epistolis illas adjunxerint Rhacusini, quas doctissimus eorum civis Iunius Restius etiam de rebus patriis conscripsit (14), et quibus nos Auctoris vitam praemisimus, non erit certe, quod quemquam e recentioribus in hoc quoque genere, post Horatium, debeant invidere.

XXXI. In iis pariter versibus, quibus a Syllabarum numero Hendecasyllabi nomen inditum est, quandoque se ita exercuit Zamagna, ut dolendum summopere sit, poematia hujusmodi pauca nimis condidisse. Praeterquam quod enim cavit sapientissime ab illa lascivienti, nimiaque mollitie, quam propter Pontanus, Roberti, et fortasse Zampierius ipse e recentioribus languidi, atque enervati merito visi sunt, ita in sententiis, verbis, et concentu genus ille servavit, ut Catullum quam felicissime aemulatum appareat.

XXXII. Epigrammata quoque, sed non multa reliquit. Abhorrens ab ea numeri, ut ita dicam, negligentia, cui nimis Catullum ipsum quandoque indulsisse fortasse non immerito affirmarunt nonnulli,

et cujus vitio non pauci inter recentiores Latinos poetas, uti Alphonsus Nicolai, Franciscus Bassanus, aliique soluta potius, quam stricta oratione scripsisse videntur, imitandos omnino sibi proposuit Graecae Anthologiae auctores, a quibus veram Epigrammatis notionem hauriendam esse fatentur omnes viri docti: cum Graeci prae Latinis, qui hoc suavissimum poeseos genus non valde quidem excoluerunt, germanam, solidamque viderint epigrammatici carminis formam, ac naturam. Hinc ejus epigrammata licet non omnia iis semper claudantur sententiis, quae tamquam morsus apis in corpore, mentem acumine vellicent, atque percellant, singula tamen in optimum Graecorum morem exacta sunt (15). Haec autem praecipue carminis species ita erat Zamagnae familiaris, ut, argumento vix proposito, aut excogitato, illico epigramma Latinis auribus dignissimum sedendo, vel deambulando conderet; quam sane facilitatem ex eo profectam in ipso existimo, quod, licet praeter Graecorum, et Latinorum linguam, Gallicam quoque, et Anglicam calleret, atque egregie posset, in tanta doctrinae, et eruditionis copia, quidquid voluisset soluta oratione Italice praesertim exarare; tamen non nisi Latine, et stricta oratione semper scripserit. Quod sano certe consilio ab ipso factum est. Nam si ad laudem bonorum scriptorum in materna, ut ajunt, lingua, cujus indoli, et structurae

a primis fere unguiculis assuescimus, et cujus variae formae quotidie nobis in usu sunt, difficillime scribendo pervenimus, quo pacto id ille in lingua, ut dicitur, mortua, cujus perfecta cognitio non nisi per assiduum studium, longamque exercitationem comparatur, tam excellenter assequutus esset, si uno eodemque tempore et in aliis scriptioni operam dedisset? Atque hinc, ni fallor, evenit, ut, dum hac tempestate in uniuscujusque artis, ac disciplinae studio, et cognitione erudiri, et excellere volumus, ne in una quidem tolerabiles evadamus.

XXXIII. Caeterum cum eruditus vir, et de Illyrica lingua optime meritus Ioannes Lucas Volantius in eo totus esset, ut, postquam Illyricum Francisci Gundulae Poema, quod Osmanaïs, vel Osmanus inscriptum est, innumeris fere mendis scatens e quamplurimis codicibus verae lectioni improbo labore restituerat (16), illud Latinis versibus exprimeretur, ejus impulsu, et precibus tantum sibi onus Zamagna imposuerat; sed cum videret in illo poemate vertendo plurima nomina heroum, et regionum ex Illyrico, et Turcico sermone petita ad Latinum numerum difficillime aptari posse, statim ab incoepto destitit. Quae pauca vero interpretatus est, et a nobis impressa sunt, Slavicae linguae studiosis dolorem augent, quod opus tam elegans totum non absolverit (17). Latinum tamen fecit lepidissimum illud

carmen Illyricum, cui *Radogna* titulus est, quodque inferius afferemus.

XXXIV. Verum in re alia, pro qua magna certe Bernardo a doctis viris gratia debetur, eumdem Volantium adjuvit. Cum postrema Raymundi Cunichii opera, quae Volantius a plurimis cartulis in unum colligere satagebat, propter creberrimas lituras a quoquam neque legi, neque intelligi commode possent, Zamagna non solum Cunichianae scripturae, sed etiam rationis scribendi peritus, ita perfecit, ut quaecumque a Volantio exscripta fuerant, (omnia fere exscripsit tam edita, quam inedita) illa ipsa non aliter, ac voluisset Cunichius ipse, in ordinem digererentur (18).

XXXV. Postremo tempus tulit, ut et inscriptiones quasdam Latinas quandoque conscriberet (19). Qui in perdifficili hoc stili genere versati sunt, eas illi summis laudibus extollunt. Atque ita non fuit politioris humanitatis pars ulla tam difficilis, ac tanta, in qua ille se studio, et labore non perfecerit, atque immortalis ingenii, et industriae suae non reliquerit monumenta.

XXXVI. Sed jam ad extremum ejus reliquae vitae cursum accedamus. Herpetis morbo, a quo neque in Italia penitus liber fuerat, Rhacusae ab ipsa pueritia eo misero tristique modo laboravit, quo in epistolis ad Andream Rubbium, Michaelem Gargu-

revichium (20), et Georgium Higgiam eumdem morbum describit: quare per plures menses domi manere saepe coactus lectione, et amicorum consuetudine corporis, animique aegritudinem leniebat. Huc accedebat, quod, cum parentes, et amicos summopere diligeret, saepe eorum interitus, ac calamitates magna cum molestia, animique commotione sentiret. Nullius tamen magis, quam Helenae Bosdariae, ejus neptis, et Catharinae Ragninae obitum doluit. Utramque flebili carmine conquestus, ac lamentatus est. Quae in funere Catharinae scripsit, Rhacusae extemplo vulgata sunt, et Italice eleganter versa a Clarissimo Viro, nostrique amicissimo Ioanne Baptista Rosani e Scholis Piis, qui tunc erat apud Rhacusinos eloquentiae Professor, et eidem Zamagnae apprime carus (21).

XXXVII. Sed tamen adversa quaeque perferens Zamagna non ea animi fortitudine, quae ex praeceptis Philosophiae hauritur, sed ex ea, quae tota a Christi religione manans hominis voluntatem divinae subjicit, adventu Gallorum de civibus suis praeclare meritus est. Rei enim litterariae in hac urbe praeposito a Marmontio, et Bertrando supremis in Illyrico Gallicarum copiarum praefectis, a quibus magni fiebat, in illo repentino rerum turbine meis, meorumque collegarum curis, et conatibus pro viribus obsecundans ita publicae studiorum causae pro-

fuit, ut nihil eadem non modo detrimenti caperent, verum etiam amplificarentur; quod satis aperte constat ex eleganti ejus Italica ad juvenes Rhacusinos allocutione anno 1809. Rhacusae edita. Tunc mihi praecipue a tribus jam lustris Bernardi consuetudine devincto opportunitas oblata est hominem propius cognoscendi, et talis cum ipso familiaritatis ineundae, qualis vix fratrem inter, et fratrem intercessisset.

XXXVIII. Cum vero Franciscus I. Imperator, et Rex in totius Dalmatiae perlustratione Anno 1818. Rhacusam advenisset, Bernardus pedibus licet ob podagram parum valens, illum tamen adivit, atque eo amantius ab illo exceptus est, quo cariorem patri suo Leopoldo, et avunculo Ferdinando fuisse sciebat. Multa Princeps optimus venerandum senem percunctatus illud pluries addidit verbis amicissimis, *quaecumque scilicet illi opus forent, se libentissime praestiturum;* cui, cum se nihili prorsus egere responderet, hos versus obtulit, quibus jam propter senium ad canendum impar citharam, et laurea serta ante ejus pedes deponebat, ac veluti sacrabat:

Musarum heu! clades senium! si qualis ad Arnum
Tum fueram, et ripas laetus ad Eridani,
Pulchra ubi Calliope, Smyrnaeque Ascraeque docebat
Attica Romano reddere verba sono,

Non levius donum nunc, Caesar magne, referres,
    Quam tulit et genitor, quam tuus et patruus.
Aetas prima abiit, dulcis vox liquit, et apta
    Copia pangendis laudibus illa tuis.
Haec habeas extrema, lyramque, et laurea serta,
    Quae dicat ante sacros muta senecta pedes.

Revera post haec etiamsi mente vigens duos adhuc annos viveret, nihil aliud scripsit, cum assiduis ferae modo herpetis, modo podagrae doloribus affligeretur. Hinc, dum ille quotidie magis viribus frangebatur, tandem die 20. Aprilis 1820. subita apoplexiae vi correptus ad mediam noctem ingenti bonorum omnium moerore occubuit. Atque mane ejusdem diei, quo vita discessit, seu quod esset pervigilium paschatis dies illa, seu quod sensim jam se ad extrema properare sentiret, sacerdote ad se sponte accersito, conscientiae mature providit. Sic qui, assiduus Christianarum virtutum cultor religiosissime semper vixerat, repentina morte sublatus Dei tamen Optimi Maximi beneficio e terris contentus abivit.

XXXIX. Fuit Zamagna statura mediocri, corpore paullum obeso, rotundo, ac pleno dignitatis vultu, colore inter album, et rubrum, fronte lata, naso parumper adunco, oculis subnigris, eaque acie praeditis, ut quatuor et octoginta annos natus, aves, dum volarent, interficeret, et librum minutissimis

impressum litteris commode legeret. Domum non exquisita, sed satis propria ornatam supellectile voluit, et quemadmodum in vestitu cultus, et decorus, ita in victu munditiae, et elegantiae amator, praesertim quando propinquos, et amicos suos convivas vocabat. Caeterum ipse cibi parcus, et vini ferme abstemius. Equo gavisus est, sed praecipue venandi causa.

XL. In moribus autem gravis imprimis, ac severus fuit, idque vultu, et incessu etiam referebat. At cum loqui incipiebat, tanta comitate oris severitatem temperabat, ut nulli fastui, sed naturae cuidam suae gravitatem illam ultro adscripsisset. Revera ea modestia fuit, ut in iis ipsis, in quibus tutissime sibi fidere poterat, alios consuleret, eorumque se judicio totum permitteret. Versus enim suos non modo eruditis hominibus legendos dabat, sed eorum arbitratu corrigebat. Nulli Accademiae, aut eruditorum coetui, praeterquam Arcadico sub nomine Triphili Cephisidis adscribi passus est. Esse enim, quam videri, doctus semper maluit. Neque umquam de se, et de scriptis suis, aut de rebus litterariis (quod certe miraberis, ferimur enim ad loquendum de iis, in quibus excellimus, et saepe non sine audientium fastidio modestiae fines praetergredimur) in quotidianis convictibus sermonem facere solebat, quasi aut doctrinam suam omnino celare, aut se ad om-

nium captum accomodare vellet; et, si forte sermo hujusmodi intercideret, rem graviter ita praecidebat, ut illum quidem in illis, de quibus disputabatur, versatissimum, sed ab iisdem omnino alienum cognovisses. Attamen si unà tecum solum, vel paucis cum amicis illum ad disserendum de re aliqua, quae ad artes, vel scientias pertineret, sollerter, seu potius furtim impulisses, tunc quasi e portu solvens plenissimis, ut ita dicam, velis circa propositas quaestiones omnia sic percurrebat, ut nihil audire posses ejus doctrina solidius, nihil ejus judicio acutius, nihil ejus oratione facundius.

XLI. Ut autem assentationis inimicissimus, ita quoque perparcus laudator. Cum ferre plane non posset, quae nimia, aut incondita dicerentur, eorum auctores, maxime si adessent, et aliquem cum eis usum, et familiaritatem haberet, Atticis salibus venuste insectabatur. Ita cum quadam die in frequentissimo coetu sciolus quidem novum scribendi genus, quod Romanticum audit, quodque amoenioribus litteris perniciem, exitiumque allaturum vehementer dolebamus, summopere extolleret = Atqui Aristotiles, et Horatius, conversus ad circumstantes inquiebat, artem poeticam tradiderunt, nosque per artis praecepta in rudi natura informanda tot annos sub severa disciplina frustra insudavimus. Mirum, fractis repagulis, quantum jam augebitur numerus

poetarum =. Atque hujus quidem generis multa saepe ex tempore dicebat, quae adhuc ab amicis memorantur.

XLII. Amicitias sancte coluit; cujus quidem rei ut Rhacusae plurimos, sic non paucos alibi testes adhibere possem. Cognovit enim, sibique usu conjunctos habuit non solum eos fere omnes, qui in Italia illis temporibus doctrina excellebant, sed multos praeterea viros Principes, eorumque celebriores legatos, et oratores. Inter autem honoris, et benevolentiae testimonia eidem a Principibus viris data illud non praetermittam, scilicet ab Imperatrice Maria Theresia (22) non semel aureis, argenteisque numismatibus ad domum Austriacam pertinentibus donatum fuisse. Habuit quoque discipulos doctrina, et genere praestantissimos, e quibus unum tantummodo, qui nuper bonis litteris ereptus est, nominabo, Iosephum nempe Petruccium primo auditorem suum, in Ignatiano deinde Ordine Collegam. Mirum, quantum ejus epistolis recrearetur, tum quia virum editis operibus clarum magnopere diligebat, tum quia interdum certior per ipsum fiebat de rebus Societatis, ad quam, ubi Romae restitutam audivit, procul dubio advolasset, si id per aetatem, et valetudinem facere licuisset.

XLIII. Tandem neque honoribus, neque divitiis umquam inhiavit. Italiam cum Dalmatia, magnam-

que urbem cum parva commutando omnem sibi viam ad ambitionem ultro obstruxit. Pecunia vero ita usus est, ut, posteaquam proprio cultui prospexisset, aliorumque necessitates (erat enim natura benignus) pro fortunarum suarum ratione sublevasset, tantum moriens relinqueret, quantum satis superque esset, ut se neque avarum, neque prodigum, neque suorum immemorem ostenderet. Atque haec illa sunt, quae a nobis ipsis vel audita, vel visa enarranda erant de vita Bernardi Zamagnae, cujus memoria tamdiu erit inter homines duratura, suus quamdiu liberalibus artibus stabit honor, et decus.

ELOGIUM BERNARDI ZAMAGNAE

AUCTORE

Comite Petro Francisco Alethy. Rhac.

MEMORIAE . ET . HONORI
BERNARDI . ZAMAGNAE . RHACUSINI
VIXIT
INSONS . HIC . ET . AEQVVS . CVIQVE . ET BONVS
ANN. LXXXV
ELATVS . IV . NON. APR. ANN. MDCCCXX.

Hic Versu Magnam Consecutus Gloriam
Latino Est Primum Quod Homeri Egregium
Vertit Poema Odysseam Egregie
Tum Quod Hesiodi Vetustum Carmen Novum
Fecit Latinis Verbis Grajos Mutans Sonos
Moschum Hic, Et Bionem Et Insuper Theocritum
Cultu Romano In Scenam Produxit Sic Sibi
Qui Placuissent Fecit Ut Placerent Caeteris
Populo Hic Adfuit Quoque Suo Tum Cum Maximum

Pium Adiret Eo Is Sextum Nomine
Pontificem Legatus a Senatu Patriae
Ut Impeditum Expediret Negotium
Quod Cum Fecisset Laudem Est Adeptus Aliquam
Frugi Quis Hominem Hunc Fuisse Dubitet
In Litterarum Qui Sinu Delituit
Et Beatum Praetulit Negotiosae Otium
Vitae — Sapiens Quod Esset Praeter Caeteros —
Quare Quod Sacerdotium Civitas Detulerat
Illi Stagnense * Primum Et Amplum Despuit
Et recipere Pernegavit Gnaviter
Nos Meminisse Hominis Par Est Optimi
Cujus Iam Nomen Aevo Vivet Plurimo
Valete Cives Et Hunc Vostrum Aemulamini
Civem Si Sapitis Si Vobis Cor Et Animus Est
Ne Fuisse Olim Non Nunc Esse Belli Et Probi Dicamini
Vos Valete Ego Quae Dixi Esse Vera Statuo
Veritatem Ita Vos Regnare Apud Vos Sinite
Probitatem Leges Bonas Et Musarum Otia
Quod Perennet Vestram Laudem Vestrum Et Ingenium
Quod Rhacusae Faustitatem Et Perennet Gloriam.

Ioh. Bosdari Ex Aula Francisci Imp. Aug. Fel. Primi
Avunculo Benemerenti Fecit Cum Lacrymis.

---

* Nimirum Tribuniense, et Mercanense.

ELOGIUM BERNARDI ZAMAGNAE

AUCTORE

Ios. Petruccio e Soc. Iesu.

BERNARDO . ZAMAGNAE . DOMO . RHACUSA
VETERE . ET . INLVSTRI . GENERE
QVEM . SOCIETAS . IESV
MAGNAE . SPEI . ADOLESCENTEM
LIBENTISSIME . SVSCEPTVM
EDVXIT . AD . GLORIAM . ARTIVM . OPTIMARVM
PIVS . VIXIT . ANN. P. M. LXXXV.
LATINAE . ET . GRAECAE . LINGVAE . PERITIA
NVLLI . SVI . TEMPORIS . SECVNDVS
HOMERI . ODYSSEAE
HESIODI . THEOCRITI . BIONIS . ET . MOSCHI
METRICIS . INTERPRETATIONIBVS
ALIORVMQVE . CARMINVM . EDITORVM . COPIA . ET . ELEGANTIA
CLARISSIMVS
QVO . FLORENTE . AETATE . RHETORE . DOCTISSIMO
SENA . ET . MEDIOLANVM
SOCIO . ERVDITISSIMO
CELEBERRIMA . SAPIENTVM . VIRORVM . COLLEGIA . GLORIANTVR
IDEM . POST . SVVM . IN . PATRIAM . REDITVM
GRAVISSIMIS . MVNERIBVS . E . REPVBLICA . FVNCTVS
ET . LATINIS . CARMINIBVS
AD . EXTREMAM . USQVE . SENECTVTEM
EXCOLENDIS . PVBLICANDISQVE

Civivm . Svorvm . Vtilitati . Gnaviter . Consvlvit
Gloriam . Impigre . Adavxit
Decess. IV. Non. Apr. An. M.DCCC.XX.
Iosephvs . Petrvccivs . E . Societate . Iesv
Sodali . Veteri . Et . Amico .
B. M. F. C.

Smyrnaeum . Ascraeumque . Syracosiumque . Poetas
Quum . Scite . E . Graecis . Verterit . In . Latios
Post . Obitum . Merito . Supremaque . Fata . Zamagnae
Tempore . Tam . Longo . Musa . Superstes . Erit
Quam . Longo . Ascraei . Et . Smyrnaei . Tempore . Vatis
Quam . Longo . Vivet . Musa . Syracosii .

TUMULUS ZAMAGNAE

DISTICON

Urbani Appendini e Scholis Piis.

Clausa sinu magni lapis hic tegit ossa Zamagnae.
Promite jam vates carmina vestra: licet.

Aliud in ejus laudem.

Tantum parva suo debet Rhacusa Zamagnae,
Quantum magna suo Graecia Maeonidae.

NOTAE AD VITAM B. ZAMAGNAE.

(1) Ioannes Stullius presbiter Rhacusinus obiit anno 1804. die 31. Martii 76. aetatis suae annum agens. Inter ejus scripta inedita jure laudatur versio Illyrica Thomae a Kempis *de imitatione Christi*. Suppeditavit Ioannes fratri suo Ioachimo Stullio e Franciscana familia plura vocabula Illyrica, quae hic in suum postea lexicon conjecit. Ioachimi Lexicon in sex magna volumina pro Illyricae, Italicae, et Latinae linguae studiosis distributum voces omnes dialectorum omnium Illyrico-Slavi Idiomatis comprehendit. Sed plures voces cujus dialecti sint, in eo non indicantur. Hinc illud Lexicon ob alias etiam causas, quas alibi aperiemus, non ab uno viro (esset enim opus multorum) peritissimo dialectorum omnium, et praesertim veteris Glagoliticae, seu Cyrillianae Sacrorum librorum, quae totius linguae caput est, viro, qui critice severa polleret, reformari necesse esset; quod optimo quidem successu pro Polonis in lexico suo jam praestitit doctissimus vir, et amicus noster Samuel Linde bibliotecae Varsaviensis praefectus. Caeterum Ioachimus qui virtutibus omnibus religioso homine dignis doctrinam adjungens mortuus est die 12. Aprilis 1817. annos 87. natus, de Slavica lingua optime meritus censendus est; improbo enim labore admirabilique constantia primus omnium divitias omnes hujusce linguae in unum congessit. Vide dissertationes nostras = De praestantia, et vetustate linguae Illyricae, ejusque necessitate ad plurimarum gentium origines et antiquitates rite investigandas, et = Dell' Analogia della lingua degli antichi popoli dell' Asia Minore « colla lingua dei popoli antichi, e recenti della Tracia, e dell' Il« lirico = Stulliano Lexico praemissas; nec non praefationem Lexici Illyrici Iosephi Voltigi, quem Viennae cognovimus, et modo Illyricis litteris sublatum lugemus.

(2) Poema hoc, quod certe editum non fuit, et de quo Auctor nullum umquam verbum faciebat, periisse existimo; inventum enim non est inter Zamagnae adversaria.

(3) Bernardi Zamagnae e Societate Iesu Echo libri duo. Selecta carmina versa Latine a Raymundo Cunichio ex eadem Societate = Romae 1764. ex typographia Francisci Komarek.

(4) B. Zamagnae S. I. Navis aeria, et elegiarum Monobiblos = excudebat Romae Paulus Giunchius anno R. S. 1768. Editio alte-

ra = B. de Comit. de Zamagna Rag. in Regio Gymnasio Mediol. Eloquent. et Ling. Graec. Prof. Publ. Navis aeria ad exemplar Romanum vidit, praefatus est, Appendicesque adjecit Michael Paintuer Ung. Sopran. Presbiter. Viennae ex typographia Baumeisteriana 1784.

(5) Michele Sorgò, (ita nos = nella vita di Raimondo Cunich tom. 2. pag. 173. = Notizie Istorico Critiche sulla letteratura dei Ragusei), che era pieno di buon gusto in genere di belle arti, e ch'era capace di conoscere in fonte le bellezze della Greca poesia, come conosceva quelle della Latina, ha già dimostrato, che il nostro Cunich ha rinnovato felicemente l'indole, lo spirito, ed il carattere dell'elegie Greche, ed ha pur avvertito, che noi arricchiti di tante elegie Cunichiane possiamo oramai affliggerci meno per la perdita di quelle, che si avevano di Saffo, di Platone, di Mimnermo, di Simonide, di Fileta, di Callimaco, di Ermesianatte, e di tanti altri insigni poeti Greci. Infatti egli è verissimo, che Raimondo adattandosi maravigliosamente a tutt'i diversi andamenti, e vicende dell'Elegia, cioè or grave, o leggiera, or tenera, o piacevole, ora appassionata, o tranquilla, or ridente, o melanconica sull'esempio di Catullo ha emulato, ed introdotto nel Lazio il carattere, e lo stile soprattutto del Greco Callimaco; carattere, che apertamente si manifesta e per la copia, ed intreccio dei pensieri, che gli uni agli altri si van con rapidità succedendo, ed anche per i periodi poetici diversamente costruiti da quelli di Ovidio, e di Tibullo. Sogliono ordinariamente questi due poeti far sì, che ogni lor distico racchiuda un nuovo pensiero, nè si scostano da un tal metodo, se il sentimento per la sua naturale fecondità, e imbarazzo non gli sforzi talvolta in certo modo a prolungarlo di qualche distico, ma sempre con gran riserva. Da ciò avviene, dicono alcuni, ch'essi sono bensì facili, eleganti, soavi, e delicati massime negli argomenti teneri, e graziosi, ma che resi monotoni, e snervati dal medesimo andamento del discorso non possono colpire vivamente, come Callimaco, ed i suoi seguaci, i quali tenendo dietro ai voli della loro fantasia fanno passare con maestria un verso nell'altro, rompono con ciò opportunamente il discorso, gli danno maggior gravità, e muovono gli affetti specialmente negli argomenti patetici. E certamente fra i moderni non vi è alcuno, che anche negli argomenti amorosi, i quali il Cunich non trattò mai, abbia con maggior arte di lui nel genere elegiaco espresso il disordine delle passioni. Le sue elegie per questo rispetto son doppiamente Greche; giacchè nessuna nazione ha saputo meglio dei Greci conoscere il cuor umano, e regolarne i movimenti colla poesia, e coll'eloquenza. La qual cosa io giudico dipendere assolutamente dal carattere d'unità, che il Cunich a so-

miglianza dei Greci dà all'argomento, dalla gradazione de' pensieri, che felicemente sviluppa, e ricava dall'istesso argomento, dall'opportuna scelta delle espressioni, che ci avvicinano agli oggetti, ch'egli ci rappresenta, e dalle quali i suoi componimenti come le tele dal chiaroscuro ricevono la lor perfezione, ed infine dalla perfetta corrispondenza, e dall'intimo legame fra il tutto, e le sue parti. Ed ecco perchè non tanto per la bellezza dei versi separatamente considerati, quanto perchè la natura è dovunque magistralmente imitata, il Cunich nelle sue elegie si dimostra sommo, ed originale, sebbene per nulla dissimulare, siavi stato, e vi sia pur anche chi avrebbe voluto talvolta in esse maggior robustezza, e vigore, ripetendo una tale pretesa mancanza di energia, e sostenutezza dal protrarre, ch'egli fa in molti distici consecutivi il sentimento primario, o idea dominante dividendola in altre idee, o pensieri, che nascono bensì dal fondo della cosa, ma che a lungo andare diventando in certo modo accessorj, mercè di lunghe amplificazioni, avvicinano lo stile al far prosaico. La qual cosa io non istarò qui ad esaminare sino a qual grado possa esser vera. Dirò soltanto, che il carattere dell'elegia destinata fino dal suo nascere al pianto, e al dolore coll'inegual andamento di metro essendo di eccitare assai più la compassione, che l'ammirazione, ed assai meno di piacere, che di commovere, una grande robustezza viene naturalmente esclusa dalle dolci, e morbide forme, dirò così, che debbono dovunque dominare, seppure non parlisi di argomenti di tal natura alti, e sublimi, non però estranei, e peregrini in bocca degli antichi poeti elegiaci. Ma dovendosi parimenti in questo genere giudicare molto meno per via di raziocinio, che per sentimento, non veggo qual cosa obbiettare si possa al Cunich, qualora le di lui elegie producano sull'animo tutto quell'effetto, che puossi aspettare da consimili componimenti in bocca degli antichi Maestri. = Quidquid hic de Cunichii elegiis disseruimus, totum id aeque dictum intelligi volumus de elegiis Bernardi Zamagnae. Sed et alibi (Memorie spettanti ad alcuni uomini illustri di Cattaro) quum loquebamur de Ludovici Paschalis elegiis, ita nos = ma per dire ora qualche cosa in particolare sul merito poetico di Lodovico, debbo far osservare, ch'egli si studiò, (e gli riuscì) d'imitare la bella facilità di Tibullo nella condotta, e nell'andamento delle sue elegie, e Properzio nel far un saggio, e moderato uso della Storia, e della Mitologia. Quindi egli seppe sfuggire del pari e la monotona uniformità di Ovidio, e quel tuono rotto, e cascante, che certi poeti dello scorso secolo hanno dato ai loro versi, credendo d'avere così imitato Catullo. Ma se il Cantore di Lesbia conobbe l'arte difficile di apparire trascurato, dirò così,

senza realmente esserlo, eglino all' opposto, per via di lunghe, e fredde amplificazioni contenute in molti distici consecutivi, in cambio del nobile linguaggio delle muse hanno adottato uno stile, che ha del prosaico, ed hanno fatto dei versi d' ordinario mancanti di quella dolce armonia, dalla quale il poeta nè può, nè dee giammai prescindere. Chiunque imprende ad imitare Catullo, ed il Metastasio deve procurare di non farsi appropriare quel detto di Orazio:

Speret idem, sudet multum, frustraque laboret
Ausus idem.

Il Borromini fu uno dei più valenti, e singolari Architteti. I suoi imitatori si sono fatti meritamente deridere.

(6) Homeri Odyssea Latinis versibus expressa a B. Zamagna Ragusino ad optimum Principem Leopoldum Austriacum ec. ec. ec. Senis 1777. Excudebant fratres Pazzini Carlii. Editio Veneta. Venetiis 1783. Excudebant Haeredes Balleonii.

(7) Bernardo e Comitibus Zamagnae Ioseph Spergesius Palentiae Baro S. P. D.

.... Otium nactus sum Odysseam tuam totam perlegendi. Mirum, quantum ex ea lectione voluptatis ceperim, non minorem certe illa, quam par Raymundi Cunichii labor in vertenda Latine Ilyade legenti mihi adtulit; adeo omnia in tuo aeque concinna, et limata sunt, ac grandia, numerosa, et Homero digna; adeo ad poetae Graeci fidem religiose exacta, ut mihi quidem cum versione Bergleriana, quae fidelissima habetur, tuam istam carmine expressam comparanti (nam me linguae Graecae non satis peritum ultro, licet cum pudore, fateor), verbum pene verbo reddidisse videaris: et sicubi de tuo aliquid adspersisti, sive versus, ac numeri, sive perspicuitatis gratia. Principis poetarum non tantum sensum apte, ac luculenter, sed ipsum ingenium, spiritum, gravitatem refert. Sane nunc primum legisse me Odysseam puto, ex quo abs te versibus feliciter redditam legi; atque peropportune accidit, me parum antea incidisse in ea, quae de vera Homeri indole, habitu animi, et ingenitae mentis vi, deque illius scribendi instituto subtiliter non minus, quam operose nuper commentatus est Robertus Vood. Is suscepto cum aliis eruditis Anglis itinere in veterem Troadem, et adiacitas regiones, vicinasque Archipelagi insulas, harum situm, et locorum a poeta decriptorum faciem, neque enim aliud de illis superest, diligenter inspexit, lustravit, scrutatus est, Iliadem, et Odysseam e manibus numquam dimittens; imo et hodiernos incolarum mores, ac ingenium exploravit, ut hisce cum poetae Graeci descri-

ptione comparatis, geminum illius sensum adsequeretur. At quidem visus sibi est, omnia ibidem reperire adhuc Homerica, atque ipsum, ut ita dicam, Homerum. Quod Anglus iste tam ardua, et fere superstitiosa indagatione quaesivit, Tu, et Cunichius non multum minus difficili ac laboriosa contentione, sed ingenii, executi estis: ille, utpote Philosophus, veritatem, et rationem Homericae scriptionis investegavit; vos, poeta uterque, illas cum omni suo cultu carmine Latino exprimere non eleganter minus ac vere. Hanc tibi, vir praestantissime, gloriam gratulor, quae in Odyssea tota tua est; tantum enim reliquis, qui illam Latine vertere conati sunt, praestas, quantum Homerus poetis. Idem carminis tui, quo Odysseam magno Etruriae Duci Leopoldo nuncupatam voluisti, cultus, et splendor: eadem venae tuae felicitas. Nihil sane illo ornatius, et ad dignitatem Principum augustae gentis, quos laudas, magis comparatum: nihil Mariae Theresiae cum magna matre Berecynthia comparatione aptius. Sed si ego singula vellem persequi, epistolae modum excederem. Quod reliquum est, gratias tibi habeo pro munere tuo, quum referendi occasio, quam optaveram, mihi elapsa sit. Si qua tamen alia se offeret, curabo, ut intelligas, quanti te faciam, poetarum nostri saeculi decus. Vale. Vindobonae V. Idus Octobr. M.DCC.LXXVIII.

(8) Hesiodi Ascraei opera omnia Latinis versibus expressa, atque illustrata a B. Zamagna Rag. ex Regio Parmensi typographio 1785. = Editio altera ex eodem typographio 1797. cum versione Italica, quae ita = Esiodo Ascreo trasportato in versi Italiani da Giuseppe M.a Pagnini Carmelitano.

(9) Theocriti, Moschi, et Bionis Idyllia omnia a B. Zamagna Rach. Latinis versibus expressa. Parmae in Aedibus Palatinis typis Bodonianis 1792.

(10) Oratio in funere Rogerii Boscovichii habita XII. Kal. Junii a B. Zamagna Patricio Rhacu. Rhacusii 1787.

(11) Tiberio Burghesio Senensium Archiepiscopo renunciato oratio in Colleg. Societ. Ies. habita a B. Zamagna Rethoricae. Praeceptore IV. Kalen. Sex. an. 1772. Senis 1772. Vincentii Pazzini Carli, et Filii impensis propriis.

(12) Urbanus Lampredi, quem jam tunc magni faciebat Zamagna, cum nuper Rhacusae penes eximium virum Nicolaum de Pozza Sorgo ejus discipulum per duos fere annos moraretur, jure Rhacusinos admiratione affecit; inter quos ambigitur, utrum pluris illum aestimare deberent propter ejus morum suavitatem, et praestantiam in litteris ubique gentium notam, an propter studium Christianae pietatis, cui penitus se devovit Rhacusii, atque omnium, quae sunt optimi Sacerdotis, officiorum exercitationem.

(13) Epistolae B. Zamagnae Patr. Rhac. scriptae anno 1795. et 1796. Has excudebat Venetiis Antonius Curti Iacobi F.

(14) Iunii Antonii Comitis de Restiis Patr. Rhac. carmina. Patavii typis Seminarii MDCCCXVI.

(15) Nonnulla horum epigrammatum leguntur impressa in libro, cui titulus = Urbani Appendini e Scholis Piis Carmina =. Rhacusii 1811. typis Martechinianis.

(16) Hic codex Illyricus penes nos hodie servatur pretio adeptus.

(17) Vide notizie sulla letteratura de' Ragusei tom. 2. pag. 265.

(18) Hunc quoque codicem Volantii manu descriptum item nos ab ejusdem haeredibus nobis comparavimus. Ex illo Clar. Vir Raphael Radeglia Metropolitanae Ecclesiae Rhacusinae Canonicus mille epigrammata selegit, quae ad commodum rei litterariae, patriaeque decus hoc titulo nuper vulgavit = Raymundi Cunichii Rhacusini Epigrammata nunc primum in lucem edita = Ragusii typis Antoni Martechini 1827.

(19) Post epigrammata duas tantummodò ex hujusmodi inscriptionibus afferemus:

(20) Michael Gargurovich vir memoria singulari praeditus die 30. Aprilis anno 1820. vita functus est sexagesimo quinto aetatis suae anno. Amoeniorum ille litterarum cultum, quamdiu vixit, magna cum laude adjunxit studio medicae facultatis, quam Bononiae, et Florentiae didicerat, quamque maxima sui nominis existimatione, civiumque suorum utilitate per triginta annos professus est.

(21) Aliqua Zamagnae Epigrammata in Illyricam etiam linguam translata fuerunt a Clar. Viro Petro Ignatio de Sorgo ex Serore Zamagnae nepote, viro religiosissimo in poesi Illyrica ita versato, ut magna cum laude suppleverit duos libros Osmanides, qui in Gunduliano poemate desiderabantur, et a Iacobo Betondio, qui in Latinis litteris egregie versatus Slavice et ipse scribebat elegantissime. Carus omnibus ob virtutes; quibus erat praeditus, Betondius vivere desiit die 3. Septembris anno 1819. sexagesimo primo aetatis suae anno. Plura scripta Illyrica reliquit. Vid. Notizie Stor. tom. 2. pag. 247.

(22) De his numismatibus ita ad Zamagnam Baro Spergesius = En quatuor majoris formae numismata, quae Sacros M. Theresiae, et Divi Francisci Aug., ac Imper. Caes. Iosephi II. vultus ostendunt. Ea dono tibi mittit Augusta Regina, ut ipsius erga te voluntas, et quam acceptum illi fuerit Odisseae tuae munus, quantique ingenium tuum faciat, hoc monumento testatum fiat. Viden' me, quod promiseram, officio probe perfunctum. Gratulor tibi istam regii animi significationem; sed non minus fidenter quam

ingenue dico, te, siquem alium, optime illam esse promeritum. Injecta etiam fuit hac occasione mentio de te, ac tua musa, ejusque de litteris bene merendi studio, et quam apud exteras nationes jam consequuta est, amplissima laude. An vero Augusta filio suo Magno Etruriae Duci te commendaverit, nondum mihi cognitum est. Scis autem, officiosos sermones inter summos Principes privati hominis gratia raro misceri ea ratione, et animo, ut unius illorum sponsionem votis alterius obsecundandi eliciant. Intellexi porro ex ultimis, quas ad me dedisti, res tuas eo loco esse, ut patrocinio, ac Maecenate omnino indigeant. Humaniores ego litteras Pisis te docere existimabam, hosque titulos epistolae meae inscripsi. Tu ex illis omen te accipere dicis. Faxint Dii hoc ipsum impleri. Si coelum Etruscum cum Insubrico commutandi, et Mediolani, ubi olim Chrysoloras, Philelphus, et alii litteras Graecas non minus, quam Latinas in Scholis Palatinis professi sunt, easdem publice tradendi animus esset, ego omen, quod ais, in res nostras verterem; certe, ut votis non tam tuis, quam meis satisfieret, curam omnem impenderem. Honesta ibi sunt stipendia: favet ingeniis, praecipue iis, qui Graecae litteraturae laude florent, Carolus Comes Firmianus, summus rerum Insubricarum administer: non desunt Mediolani viri perplures omni doctrina, et eruditione praestantes, Musisque etiam humanioribus dediti. Verum hoc anno Scholastico occupata jam sunt ibidem docendi munera. Ceterum habebis etiam nomini tuo faventem ex Aulae Caesareae proceribus Kaunitium Principem, cui avide me roganti, quod mihi dono miseras, Odysseae exemplum cessi. Quae autem tu nimis magnifice, ac liberaliter de me sentis, affectui tribuo et humanitati tuae, non judicio: hoc unum persuasum tibi volo, me tui esse in paucis observantissimum. Vale Vir Cl. Dabam Vindobonae XVI. Calendas. Decembr. MDCCLXXVIII.

BERNARDI ZAMAGNAE

CARMINUM, IDYLLIORUM,

ET EPISTOLARUM LIBER.

BERNARDI ZAMAGNAE

CARMINUM, IDYLLIORUM,

ET EPISTOLARUM LIBER.

CARMEN I.

Ad Petrum Leopoldum Austriacum Magnum Etruriae Ducem, cum illi Odysseae versionem inscriberet.

Carmina, non sacri memorant quae praelia Martis,
Luctificamque iram Pelidae et nescia flecti
Pectora; sed nullo virtus queis fracta periclo,
Ingeniumque sagax magni celebratur Ulissei,
Qui varios hominum mores inspexit, et urbes
Iactatus pelago, longisque erroribus actus,
Accipe jam, Leopolde: tuo sunt carmina digna
Ingenio, laudumque heic omnia plena tuarum.
Fortis erat belloque acer Laertius heros
Ad virides Xanthi ripas, ubi Graecia quondam
Barbaricas evertit opes populata Pelasgis
Ignibus Hectoreo male Pergama robore tuta.
Non Tydei gnato, geminisque Ajacibus, ipsi

Aut valido Aeacidi subversae gloria Trojae
Debetur; fugiens denos infida per annos
Capta boni stetit arte Ithaci victoria Grajûm,
Nec post firma pedum retulit vestigia retro.
Haud tamen hinc magnum famâ super aethera nôtus
Ille viget; cedunt aliis Mavortia bella
Laudibus, insignem quae caeli ad sidera tollunt.
Olli aderat semper custos Tritonia virgo,
Atque animi motus omnes, sensusque regebat
Consiliis dea magna suis; non blanda voluptas
Edomitum vicit; non Circe, et vafra Calypso
Illectum potuere cavo retinere sub antro
Et patrias sedes optantem, et conjugis ignes.
Non Cicones illi nocuere, aut turbidus armis
Antiphates, nec Scylla rapax, nec vasta Carybdis
Horrifico refluos eructans gurgite fluctus.
Quin victae doluere, maris gens improba, blandae
Sirenes dulci frustra latè omnia cantu
Litora complentes; doluitque oppressus opaci
Rupe sub horrenda scopuli, Neptunia proles,
Ille Cyclops vivos artus depascere morsu
Suetus, et effuso fera spargere limina tabo.
Sic durum per iter luctando interritus ibat
In patriam caroque ferens solatia gnato,
Desertoque diu felicia tempora regno.
Iam rediit: periere proci, pulcherrima gaudet
Penelope, plaudunt laeta inter gaudia cives,

Aureaque aeternam promittunt saecula pacem
Per populos Ithacae. Felix, cui numina tantam
Adnuerunt laudem, qui rerum vincere monstra
Tam varia, ac tantos potuit superare labores,
Non sibi, sed quaerens regnis, queis praesidet aequus,
Commoda! fama illum nunquam defessa per ora
Fert hominum latè volitans, atque inserit astris.
Tu quoque jam gaude, Leòpolde: haec scilicet una
Cura tibi residet vernanti in flore juventae,
Imperiis subjecta tuis ut floreat usque
Thuscia dives opum variarum, et nescia fraudis.
Non tibi vis animi, non firmo in pectore robur,
Invictaeque manus deerunt, si Martia quando
Bella vocent, trepidasque acuat discordia gentes.
Sed melior te pacis amor tenet; hic tibi certa
Dona parat, quaerant alii sibi nomen ab armis,
Et referant partos devicto ex hoste triumphos;
Tu faciles aditus populis, tu mollia perge
Pectora supplicibus praebere, et fervidus insta
Tendere, quo virtus, quo te tuus advocat ardor.
Vera placent, falsisque obdis rumoribus aures,
Nil tibi adulantum cum turba, nec tua livor
Corda rapit transversa, animumque erroribus implet
Regifico assuetum luxu. Jamque omnis abacta
Dira lues fugit vitiorum, atque abdita nigras
Eumenidum petiit latebras, amnemque severum.
At superis delapsa plagis illa aurea virgo

Aequato laeva geminas examine lances,
Fulmineumque tenens dextra ensem pendet ab ore
Usque tuo. Procul abde minas, procul abjice ferrum
Diva manu: quid tela juvant, ubi crimina nulla,
Nullae ubi sunt scelerum facies, quas aspera plectas?
Cana fides, pietasque, et morum candida regnat
Simplicitas, largaque manu sub principe tanto
Copia didit opes, et praemia laudibus aequat.
Non gemitus resonant miserorum; at gaudia pennis
Purpureis risus inter volitantia ludunt.
Legibus id, Dux magne, tuis Etruria debet,
Providus imperii queis mollia frena gubernas,
Damnaque sollicitus reparas, quae longa vetustas
Intulit illa hominum corrumpere sueta labores.
An memorem stratasque vias, molesque superbas
Arcibus impositas summis, et pontibus amnes
Marmoreis domitos, frustra indignantibus undis?
Anne lacus ripis clausos, lateque vagantes
Torrentum quondam in morem decurrere jussos
Agmine pacato fluvios, siccataque stagna,
Atque graves frugum versas in culta paludes,
Emulsa tellure, et apertis vomere glebis?
Iamque adeo agricolae, et pastorum rustica turba,
Corpora ubi hibernum perflantibus aethera ventis
Ponere vix poterant: sese tam pestifer aër
Perpetuas inter densae caliginis umbras
Vallibus ex udis supera ad convexa ferebat;

Nunc aestu in rabido, mediisque caloribus audent
Ducere securos per amica silentia somnos
Sub platano strati, aut umbrosae tegmine fagi,
Quin metuant nebulas, et noxia flamina membris.
Ergo molle pecus circum balatibus auras
Implet, et in pratis attondet mollibus herbas,
Dum Dryadas inter gracili Pan ludit avena.
At formosa Ceres laeto sociata Lyaeo
Ruricolisque diis, quoquo vestigia portas
Visurus tua dona, parant tibi debita serta,
Atque iterant laudes, tolluntque ad sidera nomen.
Tu vero, collesque altos camposque patentes
Arboribusque satisque vides dum sponte virere,
Quae tacitum sentis tentantia gaudia pectus?
Scilicet his quondam fortes crevere Sabini
Artibus, his caelo Romana potentia vires
Extulit, his etiam sub te nunc Thuscia surgit.
Cuncta vigent jam laeta: gemunt sub pondere plaustra
Pressa gravi, fructusque ferunt dum ruris amici
Quo libitum domino, tuto praeit aurea calle
Libertas longo post tempore cognita terris.
Hanc sequitur Maja genitus dator ille bonorum,
Atque acuens hominum corda auri ardentis amore.
En hujus cuncti auspiciis felicibus acti
Incumbunt operi, variis atque artibus instant
Noctes atque dies, certantque ingentibus orsis
Pro se quisque viri turpem depellere longe

Pauperiem. Secat ille salum, mercesque petitas
Finibus ex aliis secum vehit, atque morantes
Increpitat zephyros: ille altam exscindere silvam
Antiquas volucrum latebras sedemque ferarum
Gaudet, et impresso cogit mollescere ferro
Pinguia telluris non tactae viscera, ut almos
Vivacis truncos oleae malosque feraces
Ponat, ubi steriles surgebant frondibus alni.
Hic vivos aera in vultus spirantiaque ora
Mutat, hic effingit varias in marmore formas,
Atque novos tabulis inducit ab arte colores
Vincere naturam certans; hic serica pingit
Stamina, vel tenuem texens imitatur Arachnem,
Ornatusque parat molles curamque puellis.
Iamque alius propior scandens fulgentibus astris
Ventorumque vias superans, et nubila celsa,
Omnia per magnum late radiantia mundum
Sidera metitur radio, viresque trahentis
Solis, et implexos astrorum dispicit orbes,
Defectusque ortusque docet variosque meatus.
Quot lux se scindat fila in diversa? quis illam
Impetus in terram solis detrudat ab axe
Tam celeri lapsu? quae vis inducere cogat
Omnigenos rebus forma variante colores.
Nec minus et Triviae imperium super aequoris undas,
Quo fluit Oceanus refluitque immensus, et aestu
Alterno fervet, certus notat, omniaque alto

Quae caelo terrisque videt miracula rerum,
Ingenio subdit, numerisque atque arte revincit.
Ast alius leges, aeternaque munera clarat
Iustitiae, queis alma Themis, queis candida gaudet
Illa hominum custos Astraea, hic Paeonis artes,
Hic colit Aonidas Phoebumque, et tempora myrto
Cinctus hyanteo perfundi flumine gestit
Invidiamque premens et inania murmura vulgi.
Fervet ubique labor: ceu sudo vere per agros
Quum pictae glomerantur apes, et florea libant
Germina, pars ceras condit, pars dulcia stipat
Mella cadis, reparatque hyemis durissima damna.
Nec mora, nec requies ulla est: late omnia circum
Prata sonant fontesque ultro citroque meantum
Agmine. Stat medius rex ipse, et limine ab alto
Observans damnatque moras, laudatque laborem.
Talis et ipse, licet si res componere parvas
Grandibus, insinuans populorum in corda tuorum
Vimque animosque novos, eadem torpere veterno
Haud sinis, at pulcro famae succendis amore.
O Flora, o Thuscae caput ipsa et gloria gentis,
Nunc licet aetherias tibi frontem attollere in auras,
Tyrrhenasque urbes inter contendere primum
Et decus et laudis nomen. Tu scilicet una
Ante alias sentis benefacta ingentia tanti
Principis. Ecquis honos, ecqua est laus omnibus oris
Per terras late, quam non pulcherrima jactes?

Dic age, sic vitreo laeteris flumine semper,
Naturaque soli, caelique tepentibus auris,
Industrique hominum cultu, dic, unde profecta
Haec adeo secura quies, cui commoda vitae
Debes tanta tuae? num te Iovis inclita proles
Illa omnes inter divas sapientior una
Pallas amica regens tranquilla per otia servat?
Quid loquor? ah valeant nunc vana insomnia vatum,
Falsaque pierii celebrata in vertice Pindi
Nomina. Non Pallas, non quidquid Graecia divum
Extudit, hinc ullam laudis decerpere partem
Audeat, aut comitem tantis sese addere rebus.
Austriacae hoc virtutis opus, quae maxima sese
Extulit augustis nutrita in sedibus olim,
Vindobonam qua lambit aquis argenteus Ister.
Illic caesareo (1) regina e sanguine creta
Seu dea, seu mulier, dis certe aequanda vel ore,
Vel magnis animi virtutibus inclita floret,
Cui non ulla parem viderunt secla, neque ulla
Credo equidem seris quondam volventibus annis,
Tempora Saturni redeant si laeta, videbunt.
Illa opibus dives fortunae, ac ditior alto
Ingenio omnigenis excellere laudibus omnes
Optavit gnatos, sceptrisque hanc provida avitis

(1) Maria Theresia P. F. A. Caroli VI. Imp. Filia, et Francisci I. uxor etc.

Praeposuit semper curam: nec maxima bella
Armorumque vices potuere avertere mentem
Progenie a dulci, quin pulcrae semina laudis
Cum primo insereret natorum in pectora lacte.
Et nunc illa quidem, qualis Berecynthia mater
Quum vehitur curru magnum turrita per orbem
Felix prole deûm caeli supera alta tenentum,
Gaudet ovans, natisque videt late undique laetam
Europam florere suis, et tollere ad alta
Sidera laetitiae tanto pro munere voces.
Aspice, Lutetiae qua magnae Sequana magnus
Moenia tranquillis labens interfluit undis,
Inter plaudentum populorum vota corusco
Reginam (1) invectam curru. Quae gratia vultu
Majestasque sedet; matris quantum instar in illa est!
Circumstant Charites, et pubes Gallica sese
Fundit in occursum, nec lilia spargere cessat
Mixta rosis, quacumque oculos pulcherrima vertit.
Quando erit, et gnatis ut gaudeat? o bona caeli
Numina, queis ingens Gallorum gloria curae,
Hoc quoque muneribus tantis super addite munus,
Parvulus augusta ludat Delphinus in aula.
Aspice et Euboico pulcram qua litore tollit
Parthenope frontem. Viget illic candida (2) nympha

(1) Maria Antonia Arch. Aust. Ludovici XVI. Galliarum Regis conjux.
(2) Maria Carolina Ludovica Arch. Austr. uxor Ferdinandi IV. utriusque Siciliae regis.

Austriaca de stirpe, atque educat aurea regi
Illustres gnatos, qui quondam ingentibus orsis
Implebunt Italas annis felicibus urbes
Magnanimo genitore armis nec pace minores.
Illam Nereides, illam admirantur euntem
Najades effusae Sebethi e gurgite, et illam
Ipsa etiam Siren, ipsa et colit umbra Maronis.
Quo me Parma vocat? quo me rapit avia longe
Pannonia? Austriadis magnae illic altera (1) proles
Borbonio juncta est juveni; juncta (2) altera forti
Saxonidum de gente viro, maternaque late
Per populos dat jura, viamque affectat olympo
Utraque; quid fratres? quid te jam maxime (3) Caesar
Praetereo indictum, sacras cui laurea cingunt
Serta comas, subditque suas Germania vires?
Hic vir hic est, nullus quo dextra fortior olim,
Clarior aut virtute ultra Garamantas, et Indos
Proferet imperii nomen, celebrataque vincet
Facta patrum, dignus cui tellus serviat, et se
Julia gens tanto victam fateatur alumno;
Viderit Augustum quondam licet, et sua longe
Signa per immensum ferri victricia mundum,

---

(1) Maria Amalia Arch. Austr. nupta Hisp. Inf. Ferdinando I. Duci Parmae, Placentiae etc.

(2) Maria Christina Arch. Austr. uxor Princ. Reg. Sax. Alberti Casimiri Ducis Tesch. etc.

(3) Imp. Caes. Iosephus II. P. F. semper Aug.

Qua sol exoritur, quaque idem mergitur undis.
Theutonicos (1) equites alter regit aemulus armis,
Aemulus, et claris (2) patrui virtutibus, ingens
It dites cujus Belgarum fama per urbes.
Belligeros alter (3) populos, quos flumine magno
Eridanus, quos et placidis perlabitur undis
Mincius argutos pascens in gurgite Cycnos,
Imperio frenat facili, servatque potenti
Iustitia: Estensis tollit quo vindice sese
Gens antiqua, potens, Italas celebrata per oras.
Di, quibus imperium terrarum est, vota precantis
Iam faciles audite, et vestro munere tellus
Ut sit laeta diu, tantam servate parentem
Incolumem: seros videat longaeva nepotes
Assimiles gnatis, magnumque in nomen ituros.
Servate et diae sobolem genitricis in annos
Nestoreos, longumque ipsam succurrere terris
Ne prohibete boni: nondum sensere sat omnes
Auxilium praesens et amicae munera dextrae;
Multa licet tulerint jam praemia, plura supersunt.
Interea Leopolde (tibi sic aurea (4) conjux

(1) Maximilianus Arch. Austr. Coad. M. Magistri Ord. Theut.

(2) Carolus Alex. Loth. et B. Dux, Gubern. Belgii Austriaci etc.

(3) Ferdinandus Carolus Arch. Austr. Guber. Mediolani, totiusque Insubriae Austriacae etc. Maria Beatrix Estensis Arch. Austr. ejus uxor.

(4) Maria Ludovica Hisp. Inf. Arch. Austr. Caroli III. Hispan. Regis Filia etc. quam D. O. M. cum viro optimaque prole incolumem diu servet Etruriae.

Non placeat, magnaque tui sub nominis umbra
Eridani placidum per me deductus ad amnem
Paullatim incipiat Grajas dediscere voces,
Boeotumque modos? heic inter pacis amicae
Otia sub tanto posuit sibi Principe sedem
Pallas, et omnigenae doctrinae lumina fundit
Vatibus haud inimica bonis, quos divite vena
Ingenii Musaeque aluere, et Phoebus Apollo.
Prima tenet Vatum in templo loca maximus ales
Moeonius, propiusque sedet donatus et ipse
Hesiodus lauro longum vernante, nec illum
Dedignata sequi magni est mens dia Maronis.
Ambo digna canunt, ambo se praepete penna
Diversum per iter celsa intra nubila tollunt,
Admissique choro Superum mensisque recepti:
Ergo age sis, Fernande, Ascraei ad sacra poetae
Ingredere o mecum. Non ille horrentia Martis
Arma, nec ultrices alterna in vulnera dextras
Hospitio pro laeso, et raptae conjugis igne;
Sed canit(1) ut subito tener olim increverit orbis,
Ac terrae, tractusque maris coelumque profundum,
Fluminaque, primique homines, naturaque Divum
Extiterint, longaeque sequens vestigia famae
Usque Chao a veteri Trojanae ad tempora cladis
Fataque fortunasque virûm tenebrosaque regna

(1) Vides, opinor, haec ad Theogoniam Hesiodi pertinere.

Omnia Musaeo contingens nectare clarat.
Namque Chaos rerum primordia nocte tegebat
Indistincta locis, formaeque expertia; donec
Confusam discussit Amor volventibus annis
Congeriem. Tellus foecundo corpore, et aura
Lumine purpureo risit; sua tempora menses,
Et pariter novere suos vaga sidera motus,
Collectumque fretum sedit, fluviique voluti,
Cunctaque ceperunt genitalia semina vitas.
Coelus in aetherio primus regnavit Olympo,
Tellurisque sinu commixtus fudit in auras
Progeniem horrendam; donec materna sequutus
Jussa vafer Saturnus acuta falce petivit
Deprensum insidiis, patrioque potitus honore
Eripuit vi sceptra. Hoc rege agrestis, et exlex
Vita diu, moresque feri viguere, nec ullus
Iustitiae, laudique locus fuit; illaque Graji
Aurea dixerunt, fuerint quum ferrea secla,
Quae non ulla Deûm referat mortalibus ira.
Mox tamen hic, frustra Titanum fortibus armis
Defensus, natosque petens in praelia, magno
Sub Iove succubuit victus, qui fulmine diros
Coeligenas, ipsumque alta caligine mersit
Infra Erebum jaciens pavitantem, ubi Tartarus horret
Aeterna sub nocte ingens, pars ultima rerum.
Hinc Iovis auspicio regni successit origo
Tertia. In astrifera coeli sedet arduus arce

Fulgura molitus dextra, totumque per orbem
Providus intendens aciem sua praemia laudi,
Ac sceleri tribuit poenas, hominumque per artes
Ingenia exacuit. Prima haec felicis imago
Imperii, vobis quae nunc regnantibus aucta
Crevit in immensum, totamque effudit opum vim.
Tum rerum tenuis tantum experientia venit,
Quaesitique usus faciles; proscissaque terrae
Viscera, et attritus coepit splendescere vomer,
Edomitique boves, pecudesque in septa receptae,
Aeraque personuere, et ferrum incanduit igne:
Quid faceret mortale genus? non roscida mella
Sponte dabant rupes, nec vino, et lacte fluebant
Pura per intactos labentia flumina campos,
Aut inarata Ceres surgebat. Jamque placere
Glandiferi foetus passim montanaque corna
Desierant, alioque inventum vivere cultu,
Et solem prohibere, et acutae frigora brumae
Vestibus injectis, alimentaque mitia nosse:
Omnia quae cernens, sacrosque recludere fontes
Ausus opum vates Ascraeus, primus agrestes
Edocuit (1), fractis quo sidere semina glebis
Tradere conveniat? segetis quis cultus opimae?
Tempora quae messis, quaque arte paranda supellex

---

(1) Haec ad alterum Hesiodi carmen pertinent, nimirum ad Opera, et Dies.

Rustica, et agricolis quae cura adhibenda juvencis?
Nec minus, et varios docuit per caerula cursus
Litore digressus patrio, quando omnia tellus
Haud omnis bona ferre negat; certusque notavit,
Quid pluviaeque ferant Hyades, quidque asper Orion,
Arcturusque, Haedique, et quali flamine eundum,
Si placeat rapidi tentare pericula ponti,
Divitiasque sequi peregrinas. Cuncta sed ante
Justitiam servare jubet, sanctumque pudorem,
Et mores sine labe. Hinc vis, et turpis egestas
Diffugiunt, pietasque viget, populosque per omnes
Copia largifico effundit sua munera cornu,
Quam requies non donat iners, at sedula cura,
Assiduusque labor. Quid jam diversa canentem
Argumenta sequar? Cecinit qui sanguine Divûm
Heroes (1) nati populos aut legibus aequis
Rexere, aut domito retulere ex hoste triumphos,
Monstraque placarunt per magnas dedita terras;
Multaque praeterea, invidit quae longa vetustas,
Consumpsitque vorax: restat pars unica laudum
Conjugis Amphitryoneae, susceptaque magno
De Jove progenies, Alcides ille superbi
Martigenae domitor Cycni quo tempore scutum
Fulmineum quassans Pegasaei ad Apollinis aram

(1) Inter alia poëmata *Hesiodus* et *Heroogoniam* scripsisse traditur, cujus pars fortasse *Scutum Herculis*, de quo suo loco dicetur.

Perculit, ac magna Delphos formidine solvit.
O Vatem nimium felicem, edicere primo
Cui rerum tot mira datum: te principe dignus
Vivat, et usque novo vigeat florentior aevo.
Quod si magnanimos ipsi propiora tulissent
Austriadas bona secla tuos, non ille creatos
Stirpe alia Heroas celebrandos carmine sacro
Legisset. Labor unus erat gens Austria, et almis
Caesaribus faecunda domus dyrcaea sonaret
Per nemora, et plausu miratum impleret Olympum.
Tum licuit certare (1) vel ipso judice Phoebo
Argolico in coetu cum magno scilicet olli
Moeonida, quamvis argivae robora pubis
Hectoreos circa muros, Simoëntaque clausum
Caedis Achilleae furiis cecinisset, et ignes
Suppositos Xanthi quondam ferventibus undis.
Cuncta tuae gentis, Fernande, insignibus orsis
Cessissent decora illa, diu quae versibus aetas
Digna tulit. Nil gente tua nam majus in omni
Laude, per obliquos signorum flammeus Orbes
Dum rutilo invehitur curru, sol cernit ab axe.
Sed non dulcisono superi haec celebranda dedere
Dona seni; nec, si tribuissent, omnibus unus
Sufficeret. Fortuna aliud servavit in aevum

(1) Non defuere, qui dicerent, Homerum quondam certasse cantu in Euboea cum Hesiodo, victumque decessisse sententia Panidis. Sed parum id verisimile.

Austriadum laudes, aliis et vatibus olim
Ferre dabit, prima repetens ab origine gentem
Caesaream. Iam nunc faciles date lilia nymphae,
Auricomos jungam flores, magnosque nepotes
Muneribus justis cumulabo, et laurea nectam
Serta comis, donec subvectus in ardua templa,
Gloria ubi sedem posuit, tantosque sacravit
Alma viros rutilo succendens lumine, vivam
Effigiem fratrum, quos haec mirantia cernunt
Saecula, victuro describam carmine vates.
In medio mihi Caesar avito insignis honore
Stabit: eum circa variis de partibus orbis
Attonitae gentes procumbent, dignaque ad aras
Thuricremas facient pro salvo vota parente
Compede jam fracta, miseris quam barbara quondam
Immiti jussu dominorum induxerat aetas.
Ille Iovis super ales erit, geminoque minatus
Hostibus exitium collo pendebit in aura
Opperiens natum, quo martia fulmina vertat.
Hinc Leopoldus agens Thuscae felicia gentis
Agmina fraterno laetus gaudebit amore,
Juraque et augustas leges, queis temperat urbes,
Maximus ostendet: propior Flora aurea plaudet.
Hinc sacra albenti devinctus tempora vitta
Teutonicos Equites primaevi floris in aevo
Ostentans, quondam pars magna futurus et ipse
Imperii, sistet ductor: se candida supra

Relligio pietasque addet. Jamque Itala linquens
Moenia, et Eridani niveos resonantis olores
Ipse aderis, Fernande, aequos cui vivida mores
Gratior insignit formoso in corpore virtus,
Attollitque animos. Erit una Insubria tecum
Omnis, et aeternae spondebit praemia famae
Caelicolas testata, sibi te vindice laetos
Illuxisse dies, et crescere commoda, et omnes
Auspiciis vidisse tuis decora alta per urbes.
Invidia infelix liventia brachia mordens
Frendebit frustra, virtutumque ora tremiscens,
Vos hilari quae fusa choro circumundique ludent,
Sanguineos vellet raptis pro crinibus angues.
Salvete heroes sacrum genus! O mihi tantum
Donent fata aevi, vestras ut dicere laudes
Et valeam myrto victricem intexere frontem,
Invideat stupefacta novo dum Graecia vati.
Interea Ascraei tu carmina docta poëtae,
Si vacat, et fesso rerum si qua otia moles
Publica dat, leni vultu dux accipe: in illis
Invenies, quae lecta tibi dulcedine mentem
Afficiant. Neque enim vana heic sub imagine rerum
Pieriis ludunt aures insomnia formis,
Nec Venus, aut Veneris puer ille infecta veneno
Improbus idalio contorquet spicula ab arcu:
Utilitas sed multa latet, vitamque beatam
Quae faciant, praecepta, et rerum maxima virtus

Fors etiam tecum lustrans haec carmina quondam
Regia gaudebit conjux illa inclyta fama
Italides inter, qua nullam Pallas amica
Erudiisse magis doctrina fertur in omni
Estensi de gente nurum, nec pluribus auctam
Illecebris aliam Charites excellere passae;
Et gens illa quidem Musisque et Apolline clara est.
Ipsa suis curam genitrix ubi sedula natis
Impendit, magnum et matris satiavit amorem
Omnigenos volvit libros, Italasque camoenas
Respicit et Latias pariter, non inscia laudum
Ullius, audentem vexit quem Pegasus ales
Aonas in montes Grajorum exempla sequutum.
Et querimur non esse, modis qui praebeat aures
Dulcibus Aonidum, tales quum numina vobis
Concilient sensus? vobis et gaudia musae,
Et vates secura ferunt, nec fama poëtae
Vilis utrique sonat: testis Modoetia, et altis
Porticibus vivo surgens de marmore sedes,
Quam vario circum florent pomaria cultu,
Regis opus, magni referens miracula prisca
Luculli, Alcinoique. Illic iam teque, tuaque
Conjuge, quae parili tecum contendit amore,
Auspicibus, geminos cantu certare (1) poetas

(1) Duo vates praestantissimi, alter Veronensis Lorentius, Neapolitanus alter Mollius, complures dies apud optimos principes commorati sunt, maximamque sibi laudem et ipsorum principum, et aliorum auditorum judicio extemporaneis carminibus non minus scite quam eleganter decantatis pepererunt.

Vidimus, et longo renovatos tempore ludos
Pieridum. Laeta procerum stipante corona
Ambo vos alacres libantes flumina sacri
Gutturis, in morem torrentis uterque ciebat
Quae rapidi vena fundens e divite vates,
Plaudere nec piguit, nec fessis addere vires.
Omnia laetitia resonabant: famaque et udas
Najadas fusis per caerula colla capillis
Ad plausum excierat vicini e gurgite fontis,
Et Satyros Faunosque agrestia numina nymphas,
Ut quondam Arcadiae in lucis ad Panos avenam,
Aut Orphei dulcem ad cantum prope Strymonis undas
Illo oro nunc vultu, illo mea carmina plausu
Excipite illustres animae, tuque optime Princeps,
Tuque tuo dilecta viro clarissima Nympha
Formosis Junonem oculis et Pallada culto
Ingenio superare potis. Si cesseris ultro
Id proprium, Fernande, petam quod numina, nullum
Majus erit donum. Nostrum tibi serviet usque
Iam studium, tibi cura; tui sic germina gnati,
Italiae spes alta, et aviti gloria regni,
Incolumes vigeant; primis mirentur et annis
Virtutesque tuas laudumque immensa tuarum
Per populos, quos ipse regis, monumenta, nec ullo
Nomine tam laeti plaudant, quam quo tibi certam
Sternis ad astra viam, et dignum te fingis Olympo,
Deliciaeque, paterque; hominum late undique dictus.

IDYLLIUM I.

IN FUNERE.

Liviae ab Auria Caraphae ex Abellae Principibus.

Serta quid, o Nymphae Sebethides, aurea tristes
Demitis atrato capitis de vertice, et imo
Pectore ducentes gemitus, humentia fletu
Spargitis ora? Ingens qui vos dolor occupat? Heu, heu,
Quid violâ pro molli, et purpureô hyacintho
Funereae circum ferali fronde cupressus
Horrescunt, nec dulce sonat vox blanda, nec ullam
Laetitiam meditatur? An atro funere vestri
Ulla chori rapta est, quacum vos ludere suetae
Omnia liquistis jucundae gaudia mentis?
Sic reor: en tumulus largi beneolentis amomi
Rore super sparsus myrrhaque, et lacte recenti
Stat propior, tristique notatum carmine nomen:
Aurias heu gelido jacet hoc in marmore Nympha.
Quid legi infelix? Non altera Nympha vigebat
Justior aut multa pietate, aut moribus aureis
Fida nec alterno melius responderat igni
Conjugis, heu, cari. Verae jam laudis imago,
Jam periit virtutis honor, jam gloria matrum.
Heu misèranda jaces! Sic te, bona Livia, natis

Eripuit mors dira tuis, nec dona, nec ullae
Conjugis ah valuere preces avertere durum
Exitium, et nimium properas compescere Parcas?
Rumpite jam questus, Sebethi rumpite Nymphae,
Et gemitus iterate: modus sit nullus amori.
Tristitiam latè spirent loca; nec sua Siren
Funera, nec memorent resonanti in litore Vates;
Auriadis sed fata gemant, et carmina dignum
Nomen ad astra ferant: habeat suà praemia virtus,
Sculptaque Pieriis aeternum vivat in antris.
Rumpite jam questus, Sebethi rumpite Nymphae,
Et gemitus iterate. Heu saevo turbine lethi
Quae periit modò Nympha? Illam, quum luminis auras
Hausit, odoratis incinctae tempora vittis
Accepere sinu Charites, et labra puellae
Ambrosia sparsere, et flavi nectaris haustu,
Contulerantque suas non invida numina laudes.
Gaudebat genitor, gaudebat candida mater,
Et facilis natae mores miratus uterque
Oscula non repetenda diu: nam marte perempti
Ante diem, nec dum satiati pectus amore,
Delicias liquere suae et solatia gnatae.
Heu, quid ages? quo te orba feres? quae cura dolentem
Excipiet? Quamvis sors abstulit atra parentes,
Ne trepides, bona Nympha, tuae custodia formae
Et cultus te dignus in alma sede paratur
Laurae, Serriadis Laurae, quam plurima coelo

Sustulit, ac summo virtus aequavit Olympo.
Rumpite jam questus, Sebethi rumpite Nymphae,
Et gemitus iterate. Ah quid sub praeside tanta
Profuit et virtutis iter te carpere, et omnes
Currere per laudes, si non haec munera terris
Debuerant propria esse diu? Tua didita fama
Parthenopes totam laetis impleverat urbem
Auspiciis; te mille proci sibi jungere avebant,
Optabantque nurum matres, tua candida facta
Miratae, ingeniumque sagax, cultumque per artes
Palladias, blandosque pudico in pectore sensus.
En Hymenaeus adest. Jam te petit, optima Nympha,
Per sudum croceis volitans pulcherrimus alis,
Coelestique ferens flammantem lumine taedam,
Unanimi sociam sponso te tradit habendam.
Plaudit hymen; plausumque et frugiferae Rupellae
Et Bruzzani arces iterant, regnataque latè
Arva Carapheae non uno nomine genti.
Omnia laetitiam spondebant: almaque primum
Diva licet, Paphio residet quae vertice, quaeque
Idalium Cyprumque tenet, non ulla dedisset
Germina, spem dium sobolis; tamen ipsa negatam
Victa dedit prolem, votisque haud restitit aequis.
Rumpite jam questus, Sebethi rumpite Nymphae,
Et gemitus iterate. Haud omni ex parte beatum
Quidquam homini, nimiumque brevis concessa voluptas
Haec fuit. Invidit fortuna, et gaudia luctus

Cepit, et indoluit natorum funere mater.
Rumpite jam questus, Sebethi rumpite Nymphae
Et gemitus iterate. Illa alto obnixa dolori
Impavidâ fert mente, placet quodcumque Tonanti.
Ipse mihi dederat gnatos, ait, abstulit ipse;
Ipse habeat secum stellata in sede receptos.
Non ego fata querar, quamvis dolor ima perurit
Pectora, dilaniatque animam. Vos tollite, Divi,
Hanc vitam, nati maneant solatia patri;
Saltem aliqui maneant, geminos quando abstulit aegror.
Rumpite jam questus, Sebethi rumpite Nymphae,
Et gemitus iterate. Fuitquae dulce senectae
Auxilium, columenque inopum, jam saucia languet,
Paeoniasque artes nequidquam experta sub ima
Viscera diffusum sentit moritura venenum.
Quid faciat? Lacrymas inter, fletusque suorum,
Conjugis et luctus, minitantem interrita mortem
Spectat, et astriferi conversa ad lumina coeli,
En, ait, en venio, quò me tua jussa sequentem
Certa vocant, Divûm Genitor. Non fastus inanis,
Non habet hanc animam luxus: te semper amavi:
Te volui, tota semper te mente petivi,
Jamque vale, Conjux dilecte: ego cogor abire
Sideream in patriam, sed tu felicior annos
Vive tuos, et vive meos; communia tecum
Pignora sint gnati, sanguis meus. Ultima matris
Vox fuit haec, clausitque natantia lumina letho.

Rumpite jam questus, Sebethi rumpite Nymphae,
Et gemitus iterate. Illam ardua Mergilline,
Sulphureique lacus, Circaeaque litora flêrunt,
Pausilipique arces, subjectaque caerula Bajis,
Fumidaque igniferi tremefacta cacumina montis.
At conjux sola infelix in sede relictus
Coelicolis quae vota facit, quibus ambiit aras
Vocibus? ille quidem luctu perculsus, et aeger
Haesit inexpletum lacrymans, saevoque dolore
Saucius optavit simul aequam abrumpere vitam;
Teque vocans, memori captus dulcedine mentem,
Livia, te veniente die, te vespere flebat.
Rumpite jam questus, Sebethi rumpite Nymphae,
Et gemitus iterate. Erepta est maxima terris
Gloria. Sed fletu tu parce, Caraffa: quid usque
Haud reditura vocas dilectae conjugis ora?
Illa polo incedit victrix, terrisque relictis,
Aurea miratur subjecti limina olympi,
Sub pedibusque premit nubes, Superumque beato
Concilio fruitur votorum fine potita.
Vos quoque Sebethi jam parcite rumpere Nymphae,
Parcite jam questus iterare; aeternaque servet
Livia vos inter supremum laudis honorem.

IDYLLIUM II.

IN NUPTIIS.

Abundii Rezzonici Urb. Senat.
et
Hyppolitae Boncompagniae Ludovisiae
Vates.

Nymphae, Castalides Nymphae, Jovis aurea proles,
Munera si quando fuerunt mea dulcia vobis,
Nunc o, linquentes lauri nemus, et juga Pindi
Florea, vos cupido hoc Vati concedite munus.
Numine opus vestro. Toto nam gurgite Tibris
Dum vocat Hyppolyten, dum laeto murmure colles
Romulei laudesque sonant, et nomen Abundi,
Quem generum Venetaeque omnes, omnesque Latinae
Optavere sibi matres, an pectore vota
Solus clausa tegam, nec quid mea carmina possint
Experiar, nec dona feram Parnassia sponsis?
Carmina sunt dicenda: adsunt non aurea Vati
Poculaque, et pario spirantia marmore signa,
Quae donem, gemmaeque, et candenti ex elephanto
Crateres ebeno picti, non murice vestes
Adsunt sidonio rutilae, nec mollia Serum
Vellera, quae tenui pulchre discreverit auro
Docta manus, varioque ornarit daedala cultu.

Carmina sunt mea dona. Utinam dum pronuba lucet
Fax bona, post longum qua non felicior arsit,
Haec quoque conjugibus placeat sylvestris avena!
Dicite Pierides: tenuem nec Abundius odit,
Culta nec Hyppolyte cantum; Dii amant quoque sylvas,
Jupiter et gracili pastorum gaudet avena.
Dicite: barbaricis opibus, spoliisque superbas,
Nunc Veneri myrto sacra, nunc floribus auctas
Ecce triumphales Capitoli Hymanaeus ad arces
Et volat, et festas inter subit atria voces,
Connubii jam vincla, novis jam munera Sponsis
Sacra dionaeae portans jam gaudia taedae,
Quid spolia heic cerno, quid tela, et sanguine cristas
Rorantes? tecum tua sint fera munera, Mavors;
Pacis amor Deus est, pacali evinctus oliva
Hymen, o Hymenaee subi Capitolia. Jam nunc
Laeta Quirinali procedet culmine pompa:
Dia venit jam nupta, venit jamque omine fausto
Dius et ipse sua pariter cum conjuge Sponsus;
Et Venus in bijugis, et Amor vectatus iisdem;
Aurea poma manu tenet illa, hic lampada quassat.
Cernitis, ut juvenis blando suspirat amore
Saucius, atque oculos optata in virgine figens
Mille faces, ac tela imo sub pectore sentit?
At nympha unanimi flamma succensa nec ipsam
Jam matrem ah! dulcem matrem, carumque parentem,
Non fratres patriasque animo reminiscitur aedes:

Usque adeo gaudet formosi conjugis ore!
Talis et Andromache Priameïo in Hectore flagrans,
Talis et aligero quondam Jove Tyndaris orta
Inter Amycleas formâ pulcherrima nymphas
Ibat in Atridae flavi spectanda cubile.
Vos Jovis o Themidisque, Horae, gratissima proles,
Eunomieque, Diceque, atque Hirene praedives,
Ducite io pompam; tuque o praecinctus oliva
Hymen, o Hymenaee subi Capitolia: tempus
Spargere nunc flores, nunc circum mille volantes
Idalii pueri limen latè omne rosarum
Puniceis sternant foliis, et molli hyacintho,
Et paphia myrto beneolenti. Juno puellam
Cum Venere in thalamum ducant; Hymenaeus, Amorque
Ambo hilares, ambo juvenem comitentur ovantes,
E rutilas de more faces et serta ferentes.
At chorus aequalis Charitum per mutua nexis
Inter se manibus celeri plaudant pede terram
In numerum, serus veniat dum vesper olympo.
O Amor, o Charites, o Hymen, o Hymenaee
Dicite io, magna jam dicite voce; triumphe,
Rursus io, magna ter dicite voce, triumphe,
Partus honos ingens, parta est victoria vobis:
En subeunt sponsi Capitolia celsa. Quid ultra
Demoror? O fatis animae felicibus ortae,
Salvete, o coelo missum genus! aurea vitae
Fila neant vobis concordi foedere Parcae:

Omnia fausta precor. Magnis vos aurea vitae
Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.
Myrtus ut Idaliis ut crescit Amaracus hortis
Fertilis assimili foetu, quem candida Nais,
Quem sibi Hamadryades studio fovere puellae;
Sic domus haec simili succrescat prole parentum;
Virtutemque, decusque utroque e stipite ducat:
Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.
Ut viridi nunquam vitis divellitur ulmo,
Quum semel implicuit ramos, amplexaque inhaesit,
Frigore ni Boreae, calidi vel sideris aestu
Areat alterutra; o vestrum concordia servet
Sic thalamum, stabili sic vos conjungat amore!
Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.
Casta pudicitiam servet domus usque, nec unquam
Iustitiam, pacemque optet; tum sedula virtus
Assideat foribus custos, tum Copia pleno
Semper opes cornu fundat, nec cesset avara
Usque novas praebere, inopi quae dentur amico:
Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.
Rezzonidum propriumque fuit, propriumque manebit
Non sibi, sed miseris ditescere. Vos mihi testes,
Romulidae, me vera loqui, me nota. Quis unquam
Largius effusa stipe vos adjuvit egentes,
Quum malesuada fames, quum fata adversa premebant?
Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.
Testes et Venetae, testes Antenoris arces,

Quae toties sensere manus Clementis, et una
Indoluere, alio quum talem abscedere longè
Imperium in magnum viderunt, nec sua tantum
Posse, sed alterius solatia quaerere gentis:
Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.
Quid Nymphae gentemque loquar, proavosque, atavosque
Magnanimos? Quid jam geminos, duo maxima Romae
Lumina, Gregorios? quorum benefacta silebit
Aetas nulla, licet veniat labentibus annis
Invida gens, tantam cupiat quae carpere laudem.
Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.
Progenies jam qualis erit? non deficit agros
Insita vis, nec poma suos oblita sapores
Degenerant, adsit cultus modo. Sic bona gentis
Semina, sic virtus tardos transmissa per annos
Deficit haud unquam venturos alma nepotes:
Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.
Aurea progenies ergo florebit in oris
Romuleis, si non vestris majoribus unquam,
Nympha tuis simul alma, tuis simul inclyte sponse,
Dissimiles Latium natos, prolemque videbit;
Utraque gens claro majorum gaudet honore:
Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.
O venias, formose puer: te voce vocare
Auditae per noctem umbrae, manesque piorum
Romulidum, seu bella juvent, seu civica jura,
Seu libeat rutilo spectandum effulgere in ostro

Palladis inter opes, Musarumque otia sacra,
Heic exempla tibi Tarpeja ex arce petantur:
Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.
Quo tamen ah nimium fidens feror? ah male cauta
Desine Musa: tibi nondum sunt grandibus aptae
Vires, non dignae Romano Consule laudes.
Vatibus haec servant aliis Dii facta canenda,
Calliope quibus alma favet, quibus augur Apollo
Jam nunc venturos tam claro e sanguine natos
Enumerat gaudens, et fata arcana recludit.
Fors et ego accingar, vires quum firmior usus
Adjiciet. Vos interea vitae aurea fila
Pergite ducentes concordi numine Parcae.

IDYLLIUM III.

Facta Barbarorum in Palestina incursione
Conqueritur Pastor Bethlaeus Alexis.

Hostis adest: patriis extremum in collibus herbas
Carpite, oves, tenero dum canent mollia rore
Gramina, et egelidis zephyrus strepit aliger alis.
Ite citae. Daphnis vos en agit. O bone Daphni,
Pasce pecus, rabidoque agros quum torridus aestu
Sol findet, saturum vitrei duc fontis ad undas,
Lucus ubi, et placidi Jordanis frigida ripa.

Ipse heic Bethlaea moerens sub rupe jacebo;
Rupe sub hac nostro juvat indulgere dolori.
Nil nostri misereris? Alexis te tuus orat,
Ipse tua sub rupe dolens Bethlaeus Alexis,
Cui saepe hirsutos longè a praesepibus ursos,
Et duros ovibus voluisti avertere morbos,
Te vocat auxilio, o Divûm Pater, o Hominum Rex.
Nam quid jam misero restat? furit impius hostis,
Arma fremunt gentes vicinis undique regnis;
Hinc Arabes, hinc et rapidis Memphitica pubes
Fertur equis. Nos jam fuimus: pastoribus arva
Orbantur, stabula alta ruunt: quod gens tua tantum
Flagitium admisit? diversas quaerere terras
Cogor, et exilio sanctos mutare recessus
Aeger, inops. Vos, o fontes, vos, o juga celsa
Thaboris, ah Superûm quondam lustrata choreis,
Grata Deo sedes, Solymae vos pulcra valete
Pascuaque, irriguique amnes, sylvaeque, lacusque:
Tuque vale tu dia specus, tu conscia partus
Virginei, dilecta vale domus. Ergo ego nunquam
Te visam? nunquam cunas, atque annua sancti
Natalis jam sacra colam? quis limina sparget
Pallenti viola, et ferrugineo hyacintho,
Mollia odoratis miscens vaccinia calthis?
Sertum quis puero nectet? vel carmina dicens
Placabit pecori numen, pecorisque magistris?
Phylli, rosas jam mitte, argutam pulcher avenam

Frange manu, o Coridon: fuerunt haec otia nobis;
Pars Arabum montes, Pharias pars ibimus oras.
Ibimus heu! Puer alme, neque echo garrula posthac,
Non platani, aut resonae referent tua nomina valles:
Nemo tui jam cultor erit, tibi munera supplex
Nemo feret; densis heic crescet sentibus horrens
Carduus, aut tigris catulos heic aspera ponet.
Rupes o! felix rupes Bethlaea, tepentes
Has lacrymas, hos et gemitus extremà doloris
Signa mei cape, quaequae tuis nunc oscula saxis
Infigo. Mihi nulla gregis cura: ite capellae,
Ite agni; pecus omne licet sit praeda luporum;
Barbarus haec sata culta habeat, manuumque laborem,
Nil moror, at sanctae rupis stet gloria semper,
Semper honos stabuli; rapiat ferus omnia praedo.
Heic ego felicem possim traducere vitam:
Hoc precor, hoc unum, puer o, concede precanti.
Quid loquor ah demens? alias captivus in oras
Abripiar: linquenda domus, qua vagiit Infans
Dius, et agresti cubuit male fultus arista.
Huc mea spes recidit? precibus nec flecteris ullis,
Alme puer; tibi vota quidem, tibi munera supplex
Saepe tuli, puro colui te pectore semper.
Heic mihi vicino crescunt canentia in horto
Lilia, sunt casiae, sunt auricomi narcissi,
Et lauri, et myrti, quas, quum caper improbus ore
Jam laesurus erat, paenas mihi sanguine solvit:

Haec servo tibi dona, hinc serta halantia nectam;
Tu tantum ne sperne preces: hoc vivere in antro
Da, precor; aut obstant si votis aspera fata,
Heic saltem liceat letho finire dolorem.
Ipse quidem moriar laetus, defessaque claudam
Lumina, ubi primum vitales aetheris auras
Tu prius hausisti casta demissus ab alvo,
Jamque necem cupio: extincti miserebitur hostis,
Et tumulo nostrae caussam necis addet: Alexis
Heic recubat pastor, qui letho amittere vitam
Maluit, hoc absens quam longùm vivere ab antro.

Paraphrasis Idylii Illyrici.

Lele, lele Radogna.
Heu! Corydon, Corydon miserande, jugalia vincla
I propera, ac dominam jam nunc in tecta superbam
Duc age, cui robur subdas, viridemque juventam.
Aeriae certè satius de vertice rupis
Frangere cervicem fuerat, quam tale subire
Servitium, et dirae miserum succumbere pesti.
Vix radiis mane hoc primis eruperat Eos,
Cum subito exturbat foribus me nempe Lycoris
Egregia, infausto mihi ducta has omine in aedes,
Vociferans: quid stas ignavo o pectore, lucra
Nec sequeris? tempus nunc rastris frangere glebas,
Nunc fossas purgare manu, nunc saxa parare,

Camporum in pluvias munimen. Siccine lentus
Posse putas totas recubantem ducere luces,
Natorum quin cura agitet, quin conjugis ulla
Sollicitum? Fanti cui talia: non ego, dixi,
Prorepam vel tantillum, nisi membra refectus
Ante aliquid gustem, minitans licet omnia tentes.
Subridens ast illa: adside huc, inquit: habebis
Quae petis, et meritus porro! es; dein improba rapta
Quae lateri precincta, colu, barbaque prehensum
Me contra insiliit clamans: hinc te ocyus aufer,
O pigri ingluvies ventris. Dì, perdite lucem
Ingratam, quae me primum tibi junxit inerti.
Haec dicens irata oculos ita torsit, ut olli
Hiscere non ausus quidquam sim. Tunc magis ipsa
Et furit, et stabulum ingrediens rapit inde ligonem,
Suspenditque aptans peram, cui mucida tostae
Frusta inerant cereris, nostroque imponere collo
Non dubitat manibus subigens, inque arva sitique
Confectum, pariterque fame discedere cogit.
Heu! Corydon, Corydon miserande, jugalia vincla
I propera, ac dominam jam nunc in tecta superbam
Duc age, cui robur subdas, viridemque juventam.
Ah fatum infelix! sine fruge, et munere Bacchi
Vinea an ulla coli possit, vos dicite, quotquot
Exercere manus opera inter agrestia nostis?
Sed reliqui, Corydon, nil est: opus impiger urge,
Vel laqueo vitam, rapidis vel perde sub undis.

Interea abstiteram cum longe a limine, dixi,
Non peragam jejunus iter, frangarve labore
Assiduo, haud moriar per Divos; effera contra
Saeviat, et dictis conjux incessat amaris.
Verberibus tantum parcat, nil probra morabor.
Hinc subito e pera rapui cerealia frusta,
Extinxique famem, jacto procul inde ligone,
Et jacui resupinus aprico in gramine, ad ipsum
Lumina conversus solem, si forte sub aestu
Ardenti paullum placidus requiescere possim.
Hic me sopitum, nec quidquam triste timentem,
Nescio qua veniens de parte invisa Lycoris
Deprehendit, fecitque dapis, somnique pigere.
Ah fatum infelix! quid agam in discrimine tanto?
Torpueram, gelidusque stetit praecordia circum
Sanguis, ubi contra furiali concita bile
Unguibus ora uncis coepit proscindere. Multo
Vis levior morbi exstimulans, morsusque colubri,
Quam quae tartarea evomuit convicia lingua,
Audire, et perferre. Parum sed dicta nefanda
Ferre fuit; gravius multo, cum robore sumpto
Ingeminans ictus, Corydille, hoc pignus amoris,
Ajebat, Corydille, hoc nostrum munus habeto.
Tentantem celerare fugam velocior illa
Assequitur, retinensque, pudet qua dicere parte,
Perculit, ac totos misero male contudit artus.
Nil valuere preces, nil fletus: sola relicta

Vix mihi semineci vita est? Tum fasce gravatum
Lignorum ingenti ceu vilem oneravit Asellum,
Inque domum jussit praecedere. Pone secuta
Quo simul ac venit, prior occupo: hera o mea mitis,
Numquid vis aliud? Corydon tuus esse, tibique
Inservire cupit, nec flammis parce, nec undis.
Num fletu ingemuit nostro? num victa residit
Ira? immo geminos protendens turpiter ipsam
In faciem digitos, posito de fronte pudore,
Atque metu, traxit correptum ad vincula zonae,
Immisitque, nigra fuligine plena culina
Stabat ubi propter foenile. Ignave, morare
Hic, ait, asservans ignem, vasa omnia tergens,
Ligna secans; quandoque labor tibi vilis, uti sus
Immundo stratus per noctem in pulvere dormi.
Heu Corydon, Corydon miserande, jugalia vincla
I propera, ac dominam jam nunc in tecta superbam
Duc age, cui robur subdas, viridemque juventam.
Me cinere in nigro ut vidi, pudor, iraque mentem
Praecipitant, ah! quid tantum me, pessima, clamo,
Dedecoras? unquam probrosior accidit ulli
Sors homini? quoties socii convivia ducent,
Ludus ero, risusque ingens potantibus una.
I procul hinc, annosa canis: sat turpia passus
Supplicia, haud ultra valeo. Res ista futura
Exitio quamquam fuerit, connubia rumpam,
In rupes fugiens, deserta et lustra ferarum

Jamque manu arripiens quernam de robore clavam
Ceu longo excitus somno pede nixus utroque
Terque quaterque illam percussi: scito, Lycori,
Quid valeat Corydon, quantusque assurgat in iram.
Tum vero trepidans genibus minor accidit, et mì
Non digitos, velut ante, suos porrexit in ora;
Sed clamat: jam parce mihi, parce, optime conjux,
Mi domine, o Corydon; viden', ecce tenacius hydro
Pendentem, affixamque tua cervice; precanti
Da veniam, per sal oro, et communia farra:
Haec meta irarum, tandem compesce furorem.
Vah! soror, alma soror, tum mitior ore locutus
Sic retuli: quercus totam mutavit ab illa,
Quae fueras, aliosque infudit pectore sensus;
Haec te semper agat non vanae insania mentis.
Vos autem, o Juvenes, queis mens est ducere sponsas,
Discite ab exemplo; Corydon, unàque Lycoris
Sint speculum: non calce teri, non verbera ferre.
Non, ceu muta trahi proscissa animantia nare,
Vos sinite, at pugnate statim, atque obsistite in ipso
Principio, dum tempus adest. Quicumque repugnat,
Huic uxor contenta colu sua pensa resolvet:
Ille suo indutus braccas haud cedet honore.

EPISTOLA I.

Ad Janum Fr. F. Volantium Civ. Rh.

Jane, decor patriae quem pulcro laudis amore
Succendit, veterumque docet clarare diserta
Scripta virûm, quando tibi culta Osmanaïs auras
Lucis in aetherias prodibit, et Illyris ora
Grandiloquum jactabit epos? Te vindice, multis
A maculis, queis foedè obduxerat atra vetustas,
Scriptorumque ignara manus, tam nobile, tamque
Rarum Pieridum munus splendescere latè
Incipiet tersum, et purgatum? non modò nobis
Suavius efficiet tua cura; sed ipsa labore
Docta tuo nostras mirabitur extera pubes
Divitias, grandemque sonum, purumque nitorem,
Moeonioque animos, et dignas carmine vires.
Cur latuit lux tanta diu? Cur obvia paucis
Numquam ausa est exire Epidauri e finibus, atque
Victuris insculpta typis volitare per oras
Hinc alias? Segnis nos vexat inertia laudis,
Ac famae immemores patriae: cum nec tamen absit
Vatibus a nostris bona vis, nec spiritus ausit
Delibare omnes musaei nectaris haustus.
Proin veluti ignoti contemnimur, ipsaque lingua
Barbara, quam loquimur, nec Phoebo nata, nec ulli
Creditur illecebris Charitum sat idonea. Quid ni?

Quum jaceat passim perraris cognita libris,
Privatas et servet opes, nec si unus, et alter
Excoluit scriptor florentem, turba sequuta
Exemplum est major, dum mavult hospita haberi,
Ac latii antiqui cives numerarier inter,
Quam linguam vena patriam ditare beata;
Et tamen Adriaci maris illa a fluctibus Arctos
Usque ad hyperboreas, glacialem et frigore pontum
Tenditur immensas Scythiae per inhospitis oras
In rivos deducta, at eadam ab origine, servans
Naturam et nomen. Quid quod dulcissima manat,
Et multa vi pollet, et omnem flectit ad usum
Se facilis patiensque? inflabit martia digne
Classica, si cantor celebrabis praelia regum,
Victoresque alto reduces aequabis olympo:
Mollis, et ad lusus conversa imitabitur artem
Idalii pueri, teneros et dicet amores,
Myrtea si ludens nympharum tecta frequentes.
Atque utinam non ipse olim, vernante juventa,
Liquissem natale solum; fors robur Achillei,
Et virtus Laertiadae generosa sonaret
Cantibus Illyricis, utcumque haec littora Grajûm,
Trojugenûmque forent procerum mage cognita facta,
Quam quae bella diu vel Scanderbeghius heros,
Hunniades vel gessit, et acris dextera Marci.
Nunc cupidum quamquam, et frustra tentare volentem
Deficiunt pariter desueta vocabula, et omnis

Gratia nativi oblitum sermonis. In ima
Numquam etenim ingressus linguae penetralia, tantum
Edidici a nutrice olim quae paucula, servo;
Nec dictum lepidè quod sit, quod Apolline dignum,
A vulgi ignarus coeno secernere novi.
Usque adeò (quod turpe reor mihi) daedala fallit
Et junctura eadem verborum, et splendida virtus,
Concinnusque lepor. Quo fit, sint aurea quamvis,
Nec studiosus ego sat nostra poëmata mirer,
Quandoquidem nequeunt non intellecta placere.
Nec tamen illorum numero me dixeris esse,
Queis patriae sordent Charites. Imo acrior unus
Ante alios quidquid pulcrum est, et quidquid honestum,
Ad nos et cupiam transferre, et cogere nostri
In partem census, nostraeque in commoda linguae.
Nam quì dexterius fortunae possumus uti
Munere? Non magni speranda potentia regni,
Fortibus aut armis quaerenda est gloria, cui non
Invideo; magnosque odi, quos sanguine fines
Extendere suo cives. Cum dia beatos
Libertas servata fovet, cum purior aura
Irrigat, atque acuit non tardae mentis acumen,
Cur non Palladias nos exercemus ad artes,
Donaque Castalidûm sequimur, properamus et altum
Ingeniis sophiae studiis extendere nomen?
Cur non imprimis, quem purum accepimus olim
A patribus, linguae fortes servamus honorem,

Conamurque novas veneres, novaque addere lucis
Ornamenta bonae? Jamjam, dum nostra juventus
Segnitie turpi atque ingrati difluit otî
Illecebris, scythico florens gens maxima coelo
Auspiciis excita suae èt virtute potenti
Regnatricis, amat quae, nata ad grandia quaeque,
Una sibi cunctas cunctorum adjungere laudes,
Paciferâ non arte minus quam clara triumphis,
Hoc quoque praeripiet nobis decus. Illa parentum
Miro ardore instans linguam fovet, illaque praeter
Egregios quos usque libros emittere gaudet,
Ipsum etiam, quem quaeque suo sermone loquentem
Europae gens laeta colit, perdiscere voces
Moschorum coget, versaque assuscere cultu
Moeonidem primaeque petet sibi praemia palmae,
Quae nostro restabat adhuc intacta labori.
Tu, quoniam Palmotta, et Gundula, et optimus ille
Georgius, ingenii et doctrinae plenus Achivae,
Neglexere comis hinc dignum intexere sertum,
Anteveni tu, Jane, nefas, et dedecus arce
A patria: utque operi nunc pulcro strenuus instas,
Sorgiaden hortare, aut ipse accingere, et istud,
Dum licet, invadens patriis decus adde Camoenis,
Quo dici noster non dedignetur Homerus,
Valdius oblectans animos, quam millia vatum
Sueta inopes rerum versus, et vendere nugas.

EPISTOLA II.

Ad Petrum Alethium V. C.

Suave canit lepidi Cordarae, et candida musa
Cunichii: gratum est proin munus; epistola sed, qua
Auxisti donum, multò quoque gratior: omnis
Nam a capite ad talos ita molli splendida cultu
Exornata nitet, nil ut concinnius ipse
A multo norim jam tempore, dulcis Alethi,
Et Phoebo dilecte. Quod autem impellis, ut ire
Docta per ora virûm permittam carmina, foetus
Nec culti ingenii, nec dignos pumice, rectè
Fors facis, ignarus si credis posse placere
Versus, quos nec longa dies, nec lima polivit.
Sed contra sentisque putasque. An salsior ergo
Ludis, et irrisum gaudes sic prodere amicum?
Nil mihi plus aequo tribuas; nec, quod tuus haud mos,
Frontis ad urbanae subrepas dicta. Ego paucis
Et vixi notus, vivamque, ut fata volent me.
Multa quod emisi stultus, fors poenitet; aut hoc
Delectat solum, quod tristes nempe labore
Haud injucundo quaesivi fallere curas.
Post obitum quid erit de rebus, quas male scripsi,
Vel fors rectè etiam, prudens et quaerere omitto,
Et famam haud curo, quae non audita sonabit,
Ipse ubi non adero. Mea vel mittantur in ignes

Scripta, vel in vicum vendentem sal, piper, et thus.
Ignoscam haeredi facilis, culpamque remittam.
Cunichides meus ille et vixit magnus, et usque
Major florescet, sors quamquam indebita coeca
Nocte premat reliquos venae tam divitis haustus.
Illius exemplo tu, cui et vis et favet aetas
Haud studii impatiens, nisumque intende, novosque
Aude alacer fontes aperire, et promere vastae
Mentis opes, pleno jam nunc quas pectore condis
Argivis pariter doctus, latiisque Camoenis,
Ad quas grandiloquus tibi calcar avunculus (1) addit,
Gnavus uti curras. Ego radens littora in altum
Plaudam solventi tibi vela haud invidus, ac te
Suspiciens merita redimitum tempora lauro
Laetus io! dicam: Patriae nova gloria surgit.

---

(1) Benedictus Stay.

EPISTOLA III.

Ad Catharinam Ragninam Marini Bondae Filiam Pat. Rhac. (*).

In villam me saepe tuam, quam navita longe
Adveniens humili miratur ab aequore magnis
Substructam aggeribus, revocas, o maxima famae
Pars meliorque meae, Catharina, et quaeris, in alto
Vertice quid faciam Bargati? An amabile condam,
Pierides quando secessum atque otia poscunt
A strepitu semota urbis populique tumultu,
Nunc aliquod carmen, docti quod conjugis aures,
Atque tuas mulcere queat? Non blanda facultas
Mimnermi, non Callimachi Jove digna beato
Vena fluit rivo: neque enim sat claudere versum,
Aut raucos excire sonos, si forte placere
Quis tibi, et Ursato cupiat, queis molle Camoenae
Ingenium, studiumque dedere. Scit Itala tellus
Admirata tuae quondam decora inclyta laudis,
Iudiciumque acre, et purgatae flumina linguae,
Seu tu Galla sono, seu malles Thusca videri,
Et matris Gracchorum imitari parca leporem.
Hinc omni in numero poteras excellere nymphas
Eximias inter, primamque referre coronam,
Aurea consulto tegeres ni munera mentis
Invidiam fugiens, pretiumque sequuta modestae;

Vivit enim, vivetque tua ingens fama perennis,
Non modo Bondiadum, quod claro es sanguine nata,
Austriacaeque crucis rutilas insignis honore
Ragnineos complexa lares, sed multus ubique,
Quidquid agas, quoquo flectas vestigia, pulcram
Quod Decor et Charites gaudent componere, et almam
Gratior arridet quaecumque, adjungere lucem,
Quo laudes magis ipsa, tibi non aequa, recondis.
Et nunc te merito delecti, prima virorum,
Circumstant semper, dominamque verentur, aventque
Alloquiis pendere tuis: media ipsa refulges
Omnibus inspirans te dignos optima mores.
Quod si etiam quid possem, et si contendere divae
Me sinerent; credisne haec tempora versibus apta,
Cum me villula habet longum exoptata per annum,
Ac Thracum de parte adspirans nocte serena
Aura coturnices propius descendere cogit
Ad mare? Quum colles circum, et Bosanca resultat
Venantum ingenti strepitu? Non si omnis in haustus
Lene sonans flueret Parnassidos Hippocrenes
Unda meos; non si Phoebaea e fronde coronam
Sponderent Musae, famamque decusque pararent
Moeonidae, septembris ego, octobrisque cupitis
Mensibus ah! longum (namque haec pars totius anni
Multo est una mihi gratissima) carmina curem
Pangere, et irasci numeris, et rodere presso
Ungues dente, mihi seu fors male syllaba peccet,

Sive invita negent rem quamvis pingere verba.
His ubi me latebris abdo, vatesque facessunt,
Socraticae et chartae: vestes ponuntur, et usus
Urbani: totus fio diversus ab illo,
Qui soleo tecum jucundas ducere luces,
Non tibi despectus, non ultimus inter amicos.
Vix ipsum me ipse agnosco: tam vita priori
Discrepat a vita. Sive autem insania dici,
Seu mage naturae quidam mutabilis error
Id velit, Anticyra certe, helleboroque videbor
Dignus nempe unus multorum, futile sector
Qui vitae genus, ac durum, venator haberi,
Esse et dum studeo. Quod quale sit accipe: totam
Exponam heic vitae rationem, atque ordine pandam.
Sidera adhuc coelo rutilant, et Phosphorus ortum
Praeveniens croceum pulcrae Titanidis albet;
Evigilo, surgoque toro; famulosque morantes
Increpito, queis membra quies per languida serpit
Molliter, atque efflant toto de pectore somnum.
Ecquis adest? Nemon' vestes et lumina portet?
Nemon' Mexiaca incoctos hientacula rores
Glande paret, cereremque exsectam torreat igne?
Dum famuli properant, et ocellos indice mulcent,
Num pyrius pulvis, num vis mihi plumbea thecis
Apte inclusa? Satin' stupae, silicisque? Coruscant
Arma, anne admissis horrescunt sordibus, ipse
Inspicio. Tum fida canum vis exilit, atque

Suspiciens avidis expectat crustula labris,
Blandaque adulatur gannitu: mox sua raptim
Gaudia praecipiens gressus praevertit heriles,
Itque, reditque viam. Tu mecum, Vidace: Dave,
Cura domus tibi sit. Jam noctis sidera cedunt,
Ac summi montes eoo sole rubescunt,
Jamque mihi in volucrum consueta cubilia ventum est.
Ecce coturnices latebroso e gramine passim
Exiliunt, bene sit: fortuna haud invida fallet
Sperantem, cupidumque; novus quatit intima pulsu
Corda ardor trepidante. En illam naribus Argus,
Hanc melior Florus vestigans sentit odoris;
Immotaque haerens cauda, et vestigia sistens
Observat tacitus pavitantem. Excita volucris
Dat patulis plausum pennis, liquefactaque plumbi
Ferrato e tubulo grando simul evolat, atque
Assequitur frustra certantem evadere. Fixa
Illa cadit, trepidatque; canis captam ore reportat.
Inde aliam exturbo atque aliam, numeroque potitus
Ingenti nec flabra queror, nec spicula solis,
Nec vepres, nec saxa, nec ipsam, Tantalus olim
Qua male vexatus nigro contabuit orco,
Incusoque sitim, atque arentia faucibus ora,
Sudoremque fluentem ad talos usque. Ita me vis
Nescio quae mira captum dulcedine fallit;
Gliscit amor, captae quo major copia praedae.
Apparent alii venantes, et loca sparsi

Scrutantur diversa, canem quem vidimus ardor
Longius indocilem rapuit, fugientibus instat
Dum latrans avibus, vocat hic: se culpat et una
Ille malam fortunam, udo quod pulvis ab austro
Humorem pyrius collegerit, et sine vi ictum
Pertulerit volucri. Resonis perterrita in auris
Illa suum molitur iter jam libera, et hostem
Irridet vulsas spectantem e corpore plumas
Nequidquam labi, frustratumque avia linquit.
Hic catuli laudes, hic se jactantior effert,
Extollitque aciem, certamque in vulnera dextram
Ad latus ostentans tumefactae tergora perae,
Ceu sint plena avibus, quum stupa infarta tumescant.
Anne etiam venatores mendax genus, atque
Gloriolae cupidi plus aequo, ut in omnibus omnes
Artifices rebus? Sunt hercle, et cedere nolint,
Saepe licet videas vano contendere nisu,
Ac tantum ingenti coelum terrere fragore.
Quin et magna jocis alternis praelia miscent,
Inque vicem jurgantur. Ubi es tu, Ninule? (namque
Hic tum per medios narrans audacius ibat,
Quod nullum frustra jaculans emiserit ictum).
Quidni? Inquit salse ridens Perrichius: ille
Scit melius turtur, veras tibi ponere laudes,
Cui modo te vidi voluisse ignoscere, rursus
Educet ut pullos, tibi qui, velut ipse, necentur.
Huic Ninus referens, ubi cauda pedesque, rogabat,

Occisi leporis, quid refert, aerene? an igne,
Et plumbo? Esse tuum quod emas, jura omnia clamant.
Vin' mecum posito contendere pignore, uter sit
Dexterior? Tales vix fudit gutture voces,
Exiliit rostratus hypops. Telum ipse oculosque
Figit in adversum sperans demittere coelo,
Exploditque tubum nequidquam. Ast aemulus acer
Aspiciens praetervolitantem dejicit aura
E tenui unanimem, lisque est, ait, ecce dirempta.
Fit plausus sociis laudantibus, et mala longe
Sibila crebrescunt, resonantque juga alta cachinnis,
Ridet Stella meus, ridet Glumatius, atque
Marcellinus, et Amploschus; propriusque cavatam
Sub rupem invitant circumfrondentibus umbris,
Propter aquae venam, Zephyrique ad flamina, ubi ipsis
Sole perusta genas, et agresti lurida amictu
Virgo delectas ficus, uvamque recentem
Prompserat e calathis, vacuo solatia ventri.
Uva et rore madet, ficus et nectare stillant,
Irritantque famem. Facile venit ille vocatus,
Assistensque vorat, litem sic ultus et iras.
Nec jam plura sequar; nam me sol igneus axe
In medio rutilans angusta revisere fessum
Tecta monet. Neque enim gravior durare laborem
Aut sinit in campis errare diutius aetas.
Danda quies, curanda cutis dum mensa paratur,
Instruiturque epulis nec sumptu operosa nec arte,

Si fors aucupio Fauni tutela benigni
Haud adversa fuit, caesarum cuncta volucrum
Corpora dinumero, atque horum tibi lecta ferantur
Praecipio memorem testantia munera mentem,
Continuoque aliis alia asportanda relinquo
Laetior, a nostra, quam si fruar ipse, sodales
Si quem habeant praeda fructum, gratique propinent.
Deinde, vocet ni cura iterum venatica, pransus
Hac vagor atque illac; culta et mihi vinea, et hortus
Visitur, ac medios inter garrire colonos
Me juvat; aut etiam pastores poscere, an usquam
Forte lepus, seroque auditi vespere cantus
Perdicum, primo vel mane? ipsosque rogare
Non pudet et lanios (tu nasum avertis odorem
Nominis ad solum) redeuntes tardius urbe,
Numquid forte novi referant? Ancone remissa
Venit numqua ratis, Calabrove a littore? rident
Scitantem dapibus pleni, et fervente Lyaeo,
Aut reddunt incerta, ac vano ficta cerebro.
Quanti gallinae interdum percontor, et ova
Finitimis advecta è pagis, vescaque farra,
Hordeaque, et crispo praedulcia cortice pruna.
Interdum et longum descendens agmen equorum
Sarcinulis cerae vel lanae mollis onustum
Detinet. Horrentes ac barbara verba sonantes
Ductores spectare libet, quos Thracia tellus
Educat immanes et nullis legibus aequos.

Pars versus incompositos ciet ore, sonatque
Cyclopum in morem formosae Amaryllidis ignes:
Pars tacita incedit, defessi aut terga caballi
Fuste dolat: pars et Bacchi spumantia poscit
Pocula, et optato musti se ingurgitat haustu.
Crura labant, titubantque pedes: ipse impiger haurit,
Usque novos, siccatque scyphos. Tum jurgia surgunt.
Fervescuntque irae; fortes imitata Lacaenas
Donec matrum aliqua exardens vel stipite rapto
Vel saxo insanum proturbans cogat abire.
Scilicet ingeniumque ferox et mascula virtus
Matribus heic nuribusque data, atque exercita tales
Assidue ad rixas: nec secius apta choreis
Membra vigent, agilesque pedes, et mollia ludo
Brachia, ubi insonuit nocturno tibia cantu,
Ac radiis tremulae resplenduit area lunae.
Parva quidem sunt haec, et plane agrestia, si vis,
Addo etiam inconcinna; tamen sua quemque cupido
Nempe trahit. Me libertas, me ruris opes, et
Munera delectant naturae simplicis: odi
Et luxum, et fastum. Veteris vestigia vitae
Pressa sequor, nullas quum libera noverat urbes
Gens hominum, genio sueta indulgere locorum.
Nam mihi quid placeant surgentes marmore sedes
Eductaeque, gerant quae vites, mole columnae
Procera? Quid sculpta inter pomaria signa,
Et virides circum detonsa fronte cupressus,

Inclusique lacus, inductaque fontibus umbra
Irriguis, careo si rure, et vivere ritu
Urbano cogor captivus? Si alia pernox
Detinet insomnem, si gressus fingitur et vox
Morem ad civilem, visentum ac turba fatigat
Garrula, et officiis certat male sedula? Quanto
Rectius heic contra procedunt omnia! Nemo
Huc veniens optata incommodus otia turbat,
Aut interpellans inviti verberat aures,
Meque meum vetat esse. Cubo coenoque soporis
Arbitrio et ventris: coelum constare serenum
Si video, et faciles crepitare in frondibus auras
Egelida Boreae de sede, hoc omine laetus
Nil queror, aut doleo, ni te quod dividor una,
Qua sine non ulla est perfecta, ac plena voluptas.

(*) *Auctor hujus Commentarii subicit eamdem Epistolam abs se rogatu Catharinae Italice redditam.*

Nella tua villa, che il nocchier da lungi
Venendo mira torreggiar superba
Del sottoposto mar sull' alta sponda,
Allorchè Tu m' inviti, o Caterina,
Parte prima, e miglior della mia fama,

Spesso addivien, che del mio cheto albergo,
E dell'ore, che io traggo in vetta all'alto
Bergato, brami di saper novelle;
E, poichè il suon di popolose mura
Fuggon le Muse, che talor romite
Vanno, e d'ognun per molta via divise;
Mi domandi, se allora io versi in copia
Di poetico suon l'alta armonia,
Che addolcisca tua mente, e del consorte
Le dotte orecchie. Di Mimnermo i vezzi,
E del figliuol di Batto i lusinghieri
Carmi di Giove atti a temprar gli sdegni
Natura a me non diè. Che se alcun brama
Ad Orsato, ed a te recar diletto,
Non basta, ch'egli accozzi insiem dei versi,
E riempia l'aria di canore inezie;
Poichè le Muse a voi di molle tempra
Diero l'ingegno, e alla poetic'arte
Un nobile trasporto. Il sa l'Italia,
Che vide, ed ammirò gli alti tuoi pregi,
Il fino gusto, e il parlar terso, e facile,
O della voce al suon sembrar volessi
Nata dell'Arno, o della Senna in riva.
Quindi se dell'invidia il crudo morso
Bramosa di fuggire, e il nobil vanto
Ottener di modesta, ad arte i pregi
Tu non celavi dell'egregia mente,

I primi onori infra un eletto coro
Di vaghe ninfe meritato avresti
D'ognuna al paragon. Vive il tuo nome,
E ognor vivrà tra i posteri remoti,
Non sol perchè de' Bonda entro alle vene
Ti scorre il sangue, e fra i Ragninei Lari
Adorna il sen della gemmata Croce
Dell'Austria splendi alteramente, e brilli;
Ma ancor perchè, quanto più ingiusta sei
Sol con te stessa in ricoprir le belle
Amabili virtù, che t'ornan l'alma,
Di novi vezzi la natia bellezza
A gara ognor ti accrescono le grazie,
E dovunque ti aggiri, e in tutte l'opre
Il più grato splendore, e brio ti aggiungono,
Ond'è, che con ragione il primo fiore
De' personaggi ognor ti fa corona,
E riverente quale Dea ti onora.
Ciascun tacito, attento, e disioso
È di sentirti favellar. Qual astro
Tu fiammeggi fra tutti, e a tutti ispiri
Del tuo nobile cor degni costumi.
Che se mercè il favor dell'alme Suore
Sciogliere potessi la mia voce al canto,
Credi tu forse, che opportuno ai carmi
Fora quel tempo, che passar desio
Della mia villa in seno; allorchè il vento,

Del fero Trace dai confin spirando
Nelle notti serene amico porta
Alle sponde del mar le quaglie a torme;
Allorchè fanno i cacciator d'intorno
Di mille colpi risuonar Bosanca,
Ed i colli vicini? Ancorchè tutta
Con dolce mormorio dentro il mio petto
La sacra d'Ippocrene onda scorresse;
O cinto il crine d'Apollinea fronda
L'alto d'Omero pareggiar potessi
Grido immortal; ne' sospirati mesi
Di settembre, e del fresco ottobre (ah mesi
A me di tutti gli altri i più graditi!)
Non fia, ch'io faccia versi, o che m'adiri,
E che l'unghie fra denti io voglia rodermi,
Se mai nelle misure, ovver nei tempi
Un errore mi sfugge, o i miei pensieri
Seguono mal le indocili parole.
Allor, ch'io mi nascondo in quei solinghi,
E a me grati recessi, in abbandono
Lascio i poeti, e i pensator sublimi;
E, deposto il vestire, e gl'importuni
Usi della cittade, un altro io sono
Ben diverso da quel, che a te gradito,
Ed ultimo non già de' fidi tuoi
Lieti giorni passar teco son uso.
Me stesso appena in me trovo, e ravviso;

Sì strano cangiamento allor si scorge
Nel primiero tenor del viver mio;
O sia, che questa una follia si chiami,
O piuttosto un error della natura,
Che varia ognor; forse, dirà taluno,
Che a me fra tutti sol tutto si debbe
L'Elleboro, che Anticira produce;
Mentre folle, che sono, un duro, e strano
Uso di vita vo seguendo, e bramo
Pur di valente cacciatore il grido.
Qual sia frattanto allora il viver mio
Con ordine a narrarti or io m'accingo.
Sparso ancora di stelle il ciel risplende,
E biancheggiar pur di lontan si vede
L'astro del giorno, allor, ch'io desto sorgo
A salutar la rugiadosa Aurora,
E impaziente il dimorar de' pigri
Servi riprendo, che in profondo sonno
Giaccion sepolti, ed altamente russano.
Olà.... Non v'è, chi rechi il lume, e tosto
Quì le vesti succinte mi presenti,
Ed il soave Cioccolatte appresti?
Mentre son essi alle lor opre intenti,
E colla destra il sonnacchioso ciglio
Tergono leggiermente, io intanto osservo,
Se sia la polve, e il ritondato piombo
Entro i vasi riposto acconciamente,

Se le pietre mi bastano, e la stoppa:
Se sia lo schioppo lucicante, e terso,
Oppur sia dentro di lordure carco.
Escono quindi i fidi cani, e il guardo
Ver me fiso volgendo avidamente
L'usato cibo aspettano, e festosi
Mugolan dolcemente a me d'intorno.
L'anticipato ardor, ch'essi risentono,
Impazienti li rende; onde i miei passi
Precedono veloci, e cento volte
Rifan l'istessa strada. Olà.... tu, Vidaco,
Meco ne vieni, e tu, Davo, rimanti
La casa a custodir. Già le fiammanti
Stelle nel ciel s'ascondono ai mortali,
E già di Febo i vario-ardenti rai
Degli alti monti indorano le cime;
Quand'io là giungo, ove gli augei son usi
Appiattarsi la notte in grande stuolo.
Ed ecco, che le quaglie or quinci, or quindi
Escono dagli erbosi nascondigli.
O lieto augurio! l'invidiosa sorte
Deluder non saprà l'alte speranze,
Ed i voti del cor, che in sén mi balza,
A tal vista gioconda. Ed ecco, ch'Argo
Fiutando intorno intorno una ne sente,
Un'altra Floro, a cui forse l'eguale
Non v'è tra' bracchi. Allor egli rattiene

Immobile la coda, e il passo arresta,
Ed il tremante augel tacito guata,
Rapido intanto egli si innalza a volo
L'ampie scuotendo colorate penne;
Ma scoppia fuor della ferrata bocca,
Quasi polve minuta, il piombo ardente;
E mentre quegli pur con l'ali accenna,
E schivar cerca quel sonoro nembo,
Cade trafitto, e palpitante ancora
Il fido cane a me l'arreca in bocca.
Poi dalle secche stoppie altre io ne caccio
Fuori; e sol ch'io di ricca preda onusto
Torni alle case, già non calmi assai
O il soffiar del rigido rovajo,
O il saettar de'più cocenti raggi,
O che m'avanzi fra le balze alpestri
Di sterpi carche, e d'ispidi ginepri.
L'arida sete, di che n'arse in fondo
Al Tartaro colui, che a'labbri infino
L'onda vedeva d'un ruscel fuggente,
O non curo, o non sento: e larghi rivi
Scorrono intanto di sudor dal capo,
E insino a'piè mi bagnano, nè il curo.
Sì dolcemente i sensi miei rapisce
Incognito poter, che in sen mi desta
Maggior desìo, quant'è maggior la preda.
Si veggono altri cacciatori intanto

Che in questo loco van dispersi, e in quello.
L'un chiama il cane, che i fuggenti augelli
Mentre insiegue latrando, ardor vivace
Lungi gli trasse dal suo fianco. Un altro
Se stesso accusa, e la maligna sorte,
Perchè la polve di vapori carca
Restò dall'umido Austro, e senza forza
Vibrato avea contro un augello il colpo.
Ei sbigottito fra il rimbombo il volo
Libero spiega per gli eterei campi
Il nemico schernendo, che le penne
Indarno svelte al suol mira cadere,
Ed intanto per via dritta, e sicura
Sen và con l'ali immobili, e veloci.
Questo rammenta del suo cane i pregi,
Quegli fa pompa di destrezza, ed arte,
Mostrando al ciel la non fallibil destra;
E il zaino accenna, che rigonfio pende
A lui dal fianco; eppur di stoppa solo
Turgido è quel, non di predati augelli.
Son forse i cacciator bugiardi anch'essi,
E son più del dover di gloria amanti,
Come è ciascun nel mestier suo diletto?
E sono invero, e non vorranno cedere
Ancor, che spesso gareggiar si veggano
Fra loro inutilmente, e solo riempiere
Il ciel di vano fragoroso strepito.

Anzi talora avvien, che grandi muovano
Liti, e contese fra di lor scherzando.
O Nino, dove sei? Questi sen giva
Allor fra gli altri baldanzoso, e il vanto
Di non aver vibrato un colpo a voto
Dava a se stesso. Ma deh lascia, intanto
Perich gli disse, ed un sorriso aggiunse,
Che ne ridica i tuoi be' pregi, e il merto
La tortorella, cui pur mò ti vidi,
Che esser volesti di perdon cortese,
Credo ben io, perchè de' figli ess' abbia
Cura, e li nutra, onde cresciuti, sieno
Da te crudel, come or la madre, uccisi.
Adagio un poco.... (allor scuotendo il capo
Rispose Nino), e dove sono i piedi,
Dove è la coda dell' ucciso lepre?
Se poi tu l' abbia coll' ardente piombo
O presa coll' argento, a noi che importa?
Che tuo si debba dir quel ch' hai comprato,
Non v' è diritto alcun, che tel contrasti.
Vuoi meco gareggiar, deposto un pegno,
Che al più sperto si dia? Tai voci appena
Proferite agli avea, ch' alto levossi
Un' upupa rostrata. Egli la mira,
E lo schioppo s' adatta, e già sicuro
Di vederla sul suol trafitta, un colpo
Contro le scaglia indarno. Allora il prode

Emulo ardente tra le nubi stesse
Sì la ferì, che cadde esangue al suolo.
Ed ecco, ei disse, la gran lite è sciolta.
Con liete grida al vincitore applaudono
Tutti i compagni, e con fischiate altissime
L'orgoglioso rival vinto scherniscono,
E d'urli, e di risate i monti eccheggiano.
Ride il mio Stella, e insiem ride Jamploschi,
E Marcellino pure, e Glumaz ridono.
E intanto sotto d'una cava rupe,
Ove presso ad un rio l'ombra gentile
Gli alberi distendean, e dolcemente
Spiravano d'intorno i zeffiretti,
C'invitano a seder. Dell'uva fresca,
E insiem di scelti fichi al vuoto ventre
Dolce conforto dal canestro avea
Cavati sull'erbetta una donzella
Abbronzita dal sole, e in rozza gonna
Poveramente avvolta. Aspersa ancora
È l'uva di rugiada, e dolce nettare
Stillano i fichi, e l'appetito aguzzano.
Nino pure s'appressa, e i fichi, e l'uva
Divora avidamente, e tale prende
Dell'oltraggiato onor aspra vendetta.
Nè più m'estenderò: già sul meriggio
Avvampa il sole, ed al mio picciol tetto,
Convien, ch'io volga il piè. Degli anni il grave

Incarco più non mi permette i campi
Trascorrer lungamente, e affaticarmi:
Col riposo convien, che l'affannata
Lena io rinfranchi, e mi ristori alquanto.
La mensa allor di semplici vivande,
Cui nè molt'oro, nè grand'arte appresta,
Imbandiscono i Servi: e se di Fauno
Arrise a' voti miei l'alto favore,
Tutti i predati augei vo noverando,
E ne scelgo i miglior, che a te recati
Sieno dell'amor mio pegno, e ricordo:
In dono ad altri amici altri ne mando.
E se io privo ne son, pure non duolmi,
Purch'essi godan di mia caccia il frutto,
E un brindisi mi facciano bevendo.
Quindi se un venticel forier di caccia
Non m'inviti di nuovo ai luoghi usati,
Dopo il pranzo frugale in questa, e in quella
Parte m'aggiro, il fertile orticello
Or contemplando, e la ben colta vigna.
Or dei villani fra la turba misto
Godo lieto garrire; or ai pastori
Mi giova addimandar, se in alcun loco
Veduto abbiano il lepre, o in sulla sera,
O allor, che in cielo appar la vaga aurora,
Abbian delle pernici udito il canto.
Nè fia, che i macellai (Tu al solo nome

Ti mostri schiva, e volgi altrove il naso)
Allorchè tardi di città ritornano,
Mi rechi a scorno interrogar, se mai
Portin qualche novella, e se d'Ancona,
Ovver dal lido Calabrese in porto
Alcun legno sia giunto. Essi di fervido
Liquor ripieni, e di soverchio cibo
Si ridon delle mie domande, e solo
Rispondon cose incerte, oppur fantastiche.
Talor mi faccio a domandare quanto
Costino le galline, e quanto l'ova
Dai vicini villaggi a noi recate:
Quale del farro sia, dell'orzo il prezzo,
E delle dolci raggrinzate prugne.
Numeroso talor stuol di cavalli
Spettator mi trattien, mentre a noi scendono
Di fina lana, ovver di cera carchi.
Gli orridi ceffi contemplar mi giova
Dei condottier, che barbare parole
Vanno insiem mormorando in lor favella.
Nati costor di Tracia entro i confini
A niuna legge mai vivon soggetti,
D'umanità nemici, e di giustizia.
Altri cantan per via con rauco suono
Rozze canzoni, e de' Ciclopi a guisa
Della bella Amarilli i dolci amori;
Altri vanno in silenzio, o del cavallo,

Che mal si regge per stanchezza, il dorso
Percuotono spietati: altri di vino
Chieggono con baldanza ampj bicchieri,
E il disiato liquor lieti tracannano:
Vacillano le gambe, e i piè traballano:
Pur voglion nuove tazze, e insino al fondo
Vi si tuffan col volto, e vi s'immergono.
Nascono allor fieri contrasti, e fervono
Gli sdegni in sen: finchè delle Spartane
Emulando il valor con mano irata
Alcuna fra le madri a un duro legno
Da di piglio, o ad un sasso, ed i felloni
Fervida incalza, ed a fuggir li sforza.
Han quì le madri, e le robuste nuore
Indole fiera, e in sen maschio valore
Nutrono ognora a tali risse avvezze.
Nè con arte minor muovon le membra,
L'agile piede, e le scherzose braccia,
Quando l'ingrato suon di rozzo flauto
Invita a liete danze, e l'aja splende
Al tremulo chiaror d'argentea luna.
Picciole cose son, io nol contendo,
Le narrate fin quì; son cose agresti,
E rozze ancora, aggiungerò, se vuoi;
Ma siccome ciascun segue il piacere,
Che a se lo tragge dolcemente, e guida;
Così di libertade io sono amante,

E destanmi nel cor dolce diletto
Della campagna, e di natura i doni.
Abborro la mollezza, e il fasto insano,
E il viver seguo della prisca gente,
Quand'era ancora di cittade il nome
Sconosciuto a'mortali, e ognun godea
Di por sua sede, ove l'amenitade
Del luogo l'invitava, e il dolce clima.
Con qual piacer posso aggirarmi altero
Fra marmorei palagi, a cui superbo
Fanno intorno ornamento alte colonne,
Che reggon sopra le intrecciate viti?
E che mi giova contemplar nei vasti
Giardini l'opra di scarpello industre,
E i cipressi spuntati in vaga forma,
E i chiusi laghi, e l'ombreggiate ad arte
Limpide fonti, se dal ver lontano,
E da natura mi ritrovo, e avvinto
Di nobil servitù fra i lacci, e gli usi
Mi veggo allor della città; se il giuoco
Le sacre al sonno ore mi toglie, e i passi,
E la voce perfin della cittade
Convienmi al gusto modellar; se ognora
Turba indiscreta, e garrula mi assedia
Con visite importune? O quanto in villa
Traggonsi i giorni più felici, e lieti!
Non vi è chi gli ozj miei venga a turbare,

O mi frastorni con soverchie ciance,
E padrone di me d'esser mi vieti:
Dormo tranquillo quanto il sonno il chiede,
E di cibi graditi il ventre appago.
Se il ciel veggo sereno, e dalla fredda
Sede di Borea tra le verdi frondi
Odo propizio susurrare il vento;
Lieto di tale augurio in piena calma
Sento, che giace il cuor, e solo duolmi
D'esser lungi da te, che sola formi
Dolce incantesmo a chi t'ascolta, e mira.

EPISTOLA IV.

Ad Benedictum Stayum
Virum Cl. atque Ampliss. Praesulem.

O qui Nestoream non longa aetate senectam,
Sed multa virtute, ac mentis acumine, Stay,
Longe antecellis, num forte videbor ineptus,
De lingua tecum si sabor pauca latina?
Hujus tu antistes cunctis praestantior; in quem,
Ni ridenda foret sententia Pithagoraeûm,
Grandiloqui migrasse animamque, ipsumque Lucreti
Credam animi ardorem. Namque ut quondam ille coronam,
Unde prius nulli velarunt tempora musae,
Detulit ex Helicone intactam, ingressus in hortos
Suave exhalantes Epicuri; ita victor et ipse
Cartesii placita, et Neutoni dia reperta
Ausus es in resonas Parnassi extollere sedes,
Spargere musaei sic dulci et nectaris haustu,
Nil ut lucidius, nil esse venustius, et nil
Grandius ut possit. Quare immortale manebit
Et decus, et nomen semper, tui et inclyta facta
Ingenii volvenda omnis mirabitur aetas:
Cum tibi praesertim gemini plausere diserto
Clementes, atque ipse Pius, quo Roma superbit,
Per te transmitti sua scite oracula gaudet.

Sed quid ego certem multis te ornare, nitori et
Majus Apollineo jubar addere garrulus? haec tu
Quae crasso intexam filo, nulloquè lepore,
Ni melius quid habes, podagram quod mulceat, audi
Ante quidem geminae per doctas undique terras
Sunt linguae imprimis dominatae, nempe latina,
Graecaque. Majestas utrique est insita, utrique
Dignus honos; plenumque sonant, facilequè per aures
Insinuant animis ludos, et seria quoscumque
Ad numeros formamque aptae. Locupletior usu,
Mollior et cultu Graecorum lingua, Quiritum
Pauperior, graviorque, ut erat pollentius armis,
Ceu nosti, Latium, quam Musis. Sed mala fata
Grajugenum mittamus, et in sermone moremur
Nunc latio tantum, varia alternante revisit
Quem fortuna oculo. Nam cum superante duello
Barbarico jacuit Romani exangue cadaver
Imperii, et Scythicae diffusa examina gentis,
Dira per Europam nova regna exsurgere visa,
Inductique novi mores. Vetus omnis abacta
Mundities sermonis, et atrum virus obortum
Mixtis connubiis populorum ac lege superbi
Victoris: plusquam Saturnius inruit horror,
Totque fere enatae, quot regum nomina, linguae.
Pauca tamen mansere bonae ceu semina frugis,
Paulatim ingeniis quae culta sagacibus altam
Crevere in messem. Rursum florescere visus

Est decor, et victrix Romanae gratia linguae
Auspicibus rediit Naugeris, et Sadoletis
Cum Bembo, cum Manutiis, cum Perpiniano,
Flaminio, Vidaque, et Cotta, Sigonioque,
Et Fracastorio, et Mureto, aliisque sequutis
Sexcentis. Eadem nigro velut excita ab orco
Splendida duravit nostri hanc ad temporis usque
Aetatem, quam nulli aevo par cedere, tantum
In te praesidium cum nacta est, cumque tueri
Vindice se tanto, jactari et gaudet alumno.
Quorsum haec tam longo repetita a tempore, dices?
Nimirum ut mirere, in tantum evecta latinae
Vis linguae cum sit culmen, cur rursus eamdem
Maxima pars quorumdam hominum, queis non leve Pallas
Addidit ingenii munus, fastidit, et odit?
Jamque relegare e terrae parat omnibus oris
Dulce sonaturam fortasse Catonibus, atque
Fabriciis pigram trans Lethen, Cerberus umbras
Ferret ubi exangues, resonantque Acherusia stagna?
Quin major nunc spes abolendi est addita, et actam
Hinc procul exturbandi; ex quo ceu fulminis ictu
Ogniadum manus illa feris metuenda tyrannis
Scilicet, ac late totum bacchata per orbem,
Exiguae jactu chartae compressa quievit.
Unde odium improvisum, unde haec fastidia? quaeris
Si causas, referam. Longum consumere tempus,
Clamant esse nefas in lingua tantopere illa

Discenda, nullo quae jam vernacula floret
In populo: simul ipsa sua cum gente refrixit.
Esse autem satius complere recentibus aures
Divitiis vacuas puerorum, animosque severis
Artibus informare rudes, quam, pinacothecis
Quae melius starent servata ancilia juxta
Atque Numae lituum, semper resonare cathedras
Nil aliud, tumidi nisi sesquipedalia Tulli
Verba, et Plautini coenum salis. Omnia vivos,
Quae prisci scitu scriptores digna tulere,
Versa in sermones cessere ad commoda nostra;
Illae et opes celebratae in nostra venire coactae
Sunt jura, aeternum quin sit pallere necesse
Grammaticas inter tricas, et inania monstra.
Si qua amissa Charis, facilis jactura leporum,
Et venerum, quas nunc vix sentiat unus et alter,
Heu miserum trivere diu qui talibus aevum
Deliciis, Flaccum soliti et cantare Maronem,
Pascere non solidae doctrinae pectus amore.
Quod caput est, sua quisque colat: qua quilibet ortus
In regione, ejus curet cognoscere linguae
Naturam, et formas, et vim, si scribere recte,
Ac velut in proprio vestigia figere regno
Libera si cupiat. Tum se facundia promit,
Ardor et in verbis, pedicis sine vivida cum mens
Arbitrio versat nativa vocabula, agitque
Quod vult cumque suos ceu sponte sequentia nutus,

Haec clamant, haec saepe iterant, haec damna juventae
Objiciunt. Quae vera licet sint pleraque, non et
Cuncta probem: miscent fanda, atque infanda, nec ad rem
Semper. Nam primum videant, num mollibus annis
Mobilium puerorum animus sit idoneus istis
Praeclaris Sophies elementis; deinde referre
Ne renuant, cur sola vetant cognoscere scripta
Romulidum nativo in fonte, monentque vicissim
Discere complures et eodem in tempore linguas
Gallorumque, Italûmque, ipsorum et forte Britannûm,
Si dîs et placeat, Thracum quoque? nempe vigent, et
Usui erunt omnes, magnae quando modo gentes
His inter sese commissa negotia tractant,
Conficiuntque libros, et dulcia carmina pangunt.
Esto! sed jungas si prisca recentibus, addes
Haud leve sic pretium: quae matrem adjungere natis
Invidia impediat? vulgares inter honore
Fulgeat eximio, solidoque perennior aere
Lingua stet, Augusti sonuit quae in Caesaris aula.
Quid terrere juvat? Non hunc ediscere tantus
Sermonem labor est, ut credas profore multum,
Si intermittatur; quasi nobis tota trahenda
Vita sit in verbis discendis, parvaque contra
Particula ad rerum maneat data notitias, et
Scrutandam ad Sophiam. Quin cernimus acrius istis
E salebris veluti elapsos sublimia ferre
Ad studia ingenium pueros. Ita lingua nec aevum

Vindicat haec longum, via si directa docendi
Servetur, brevibusque adsit qui certa magister
Instillet praecepta notis; nec quotquot honorem
Hinc petiere sibi, doctrinae luce carentes
Vitam exegerunt stolidi, brutumque pecus ceu
Sunt resonos tantum balatus edere sueti.
Quid quod, uti fertur, non lingua haec mortua prorsus,
Nec misera est adeo: monumenta tot aurea restant,
Doctorumque manu et cura vigilante teruntur,
Vivaque adhuc spirantque, atque intellecta loquuntur
Plena voluptatis? Capitoli immobile saxum
Dum bona Relligio, Pater et Romanus habebit,
Haec lingua haec vivet non turpi obnoxia letho,
Sacrorum fida interpres, ac digna Tonante.
At mitto haec, quae vana putant, quibus impia sedit
Nescio quae novitas. Non id contemnere, credo,
Nec parvi facere audebunt; namque utile, et almae
Multum frugis habet, quod dicam, omnesque juvabit
Quaerendae nunc magnus amor naturae, hominesque
Secretas rerum causas et munera gaudent
Eruere e latebris; sed iisdem saepe queruntur,
Signa sibi communia deesse videlicet; usus
Quorum sit constans, potiori et notus ubique
Parti hominum. Experiar, si convenientia justis
Dicta queam votis proferre. Ergo illa colenda
Lingua foret, quae sola inter se jungere saecla,
Inventasque in iis artes, doctosque labores

In commune bonum facile convertere possit?
At quae, si excipias Romanam, latius orbe
Lingua patet doctos inter, quaeve aemula laudem
Detrahat hanc illi stabili sic jure manentem?
O vere lymphata hominum, vesanaque turba,
Luxurie et nimia studiorum turgida, quid te
Nequidquam vanis agitas conatibus, atque
Ingenium torques? Aut nusquam est fingere sollers
Quam cuperes, aut haec in lingua inventa latina est.
Haud potiorem aliam excudes: licet omnia miscens
Rerum elementa sagax imitari Protea cures;
Tu prius in coelo classes innare jubebis
Successu meliore expilans scrinia Lanae,
Quam voti compos laetere hac dives in arte.
Lingua regat Romana illustres una catervas,
Quae nunc Europen complent, suaque acta propagant
Nec sermone omnes nec iisdem vocibus usae;
Ipsaque sit, quam dia sibi sapientia jungat
Depositi custodem una, fidamque ministram;
Sola feret, naris quaecumque Britannus acutae
Extudit ingenii sollers intendere nisum
Ante alios; Italum clarabit sola decorem,
Sola acres Gallorum ausus, et mentis Hiberae,
Teutonicae et pariter tentamina lumine puro
Vestiet, atque dabit supposta trionibus ora
Solis uti a radiis, non Palladis avia luce,
Quae speciosa tulit vitae melioris in usum

Estne hoc in votis? Europae hoc angulus omnis
Jam varia tandem fessus farragine vocum
Et petit, et vestigat inaniter? ecce repertum,
Inque manu est: communis lingua habeatur
Romula, et ut victo quondam regnavit in orbe,
Sic nunc doctrinae atque annalibus una sophorum
Praesit, et alma sono gentes conjungat eodem
Inter se varias, monumentaque publica servet.
Heus! tu me insanire putes, solemnia scribo
Talia dum natus trans et mare, et altus acutis
Illyriae in scopulis? Atqui me corrige sodes,
Vana movent captam si fors insomnia mentem;
Aut tua quae virtus, quae fama est nominis, adde
His aliquod pondus, quo possint lecta probari
Judicio firmata tuo, atque innoxia ferri.
Si vero videas defendi haud posse, relinque
Blattis scripta malis latebrosa in sede voranda,
Ne grex doctorum contra consurgat, et aures
Midae cognatas in apertum educere cogat,
Stultitiam ridere volet cum civis amici.

BERNARDI ZAMAGNAE

HENDECASSYLABORUM LIBER.

Ad Magnam Dei Matrem.

Cui dabo exiguum pium libellum,
Nec satis lepidum, nec expolitum?
Virgo dia, tibi. Tuas libellus
Quum laudes habeat, tuus libellus
Dici vult. Satis ille se putabit,
Si non displiceat tibi, beatum.
Quod si fors placeat, nec impolitus,
Jam nec illepidus perennis aevo
Plus uno sibi plaudet, et libellos
Omnes, quot fuerunt politiores
Auroque, et minio, et cedro elegantes
Vincet exiguus pius libellus.
At nisi auxilium tui repertum
Illi erit decorisque nominisque,
Vix notus tineis, araneisque
Inter multa pusillus impiorum
Grandia illa volumina, ac venena
Atris in tenebris jacebit usque;

Vel tractu levior liquentis aurae,
Unàque aëriam ratem sequutus
Ibit ludibrium Favoniorum.
Quare illum tibi habe, tuus vocetur,
Sit tuus. Sub Hera quid oro tanta
Vel sibi metuat, sibi vel optet
A me jam fieri mage expetendum?

De Bodoniana Theocriti editione.

O docti Siculae modos avenae,
Misso palliolo, togaque sumpta,
Vates aureoli, venusti olores
Puro loti Arethusio liquore,
Jam cultu nitidi Bodoniano
In claram e latebris situque lucem
Rursum exite: male heu! male inficetae
Formae vos toties Typographorum
Turparunt maculis sacris, pudendis.
At quis? quis modo bellulos amicus
Jussit fulgere comptulosque? Hiberus
Ille eques pater elegantiarum
Azara inclytus, unice latinas,
Et grajas pariter fovens Camoenas.
Ille hoc vos decorat novo nitore.
Quare id, quidquid honoris est, referte

Bonarum huic lepido artium Patrono;
Quas ut sedulus ornet excolatque,
Haud umquam studio, haud pepercit auro
Amator charitum, omnium et leporum.

IN NUPTIIS

Principis Caroli Albani.

Quos praesens Tibi dedicare versus
Optaram bene limula expolitos
Latinaque, Italaque, dum puellae,
Ipsis quae Charisin queat probari,
Avi, Carole, nubis auspicata;
Hos absens modo cogor impolitos,
Sic ut esse vides, nec absolutos,
Qua par cura erat, ultimis ab oris
Ragusae procul, et mari Adriano
Ad te mittere, ne meas Camoenas
Tanta in laetitia tua putares
Tuique immemores, tuaeque Nimphae,
Omne mi id studium, jocosque, et omnes
Grajum delicias acerba fratris
Mors secum tulit. Heu! perempte Frater,
Heu, vitae mihi magna pars adempta.
Quando hoc me horribili dolore solves,

Et sines Italas redire ad oras,
Laetum ut gratuler inclyto Patrono,
Hymen quem statuit, diem jugalem,
Omnes ante alios diem excupitum?
Sed quando id vetitum est, nec hinc redire,
Nec possum Tibi adesse, lenis adsit
Cum risu Venus, adsit et Cupido
Junctus laetitiae, atque conjugalis
Illa pax sobolem creare sueta
Pulchram, multiplicem, bonam, valentem.
Hanc tui similem, o! queam videre
Quamprimum patriis vigere in ulnis,
Laudis ne pereat tuae ista imago,
Virtutumque decus venustularum,
Queis summis hominum places, et imis
Flos idem, ac decus omnium Italorum.

Ad
Lucianum Nicolai de Pozza Sorgo filium
Puerum bimestrem.

Niconis puer o mei voluptas,
Atque amabile corculum parentis,
Hos tibi senior Zamagna scripsit
Leves versiculos, et impolitos,
Ut post grandior a parente discas,
Quot seclum hoc tulerit malos labores,
Et queis e tenebris repente fulsit
Optatae exoriens jubar salutis,
Vix vitae ut satus exiisti in oras.
Heic et magnanimos Duces videbis,
Europam et rabido adlevatam ab hoste,
Et terris subitam omnibus quietem,
Redditam Superûm benignitate.
Tu mirabere perlegens: disertus
Adsidens pater omnia explicabit,
Quae paucis ego versibus notavi.
O cresce interea patri futurus
Carae et delicium diu parenti!
Et me si magis et magis virescens
Fors vivum invenies, precor, benignus
Eodem me ut amore prosequare,
Quo nunc prosequitur parens uterque.

Ad Raphaelem Antonium Michiel Vitturi.

Vitturi Illyriae jubar decorum,
Multa et cognite laude literarum,
Quod Thuscis celebras meos sodales
Doctis pol numeris, et eruditis
Ad vitam reduces, decusque primum,
Id certe volupe, id mihi benigné
Fecisti. Quid enim vel esse suave,
Vel carum pote mi magis, viro quam
A tanto socios meos cieri,
Dilectamque meam coli parentem
E nigris iterum excitam tenebris?
Sed petis quod, amice, ego ut latinis
Exprimam numeris ita eleganter
Quae Thusco modo carmine extulisti,
Id mihi est, fateor, grave ac molestum,
Non quod hoc renuam tibi roganti
Praestare obsequium, sed aegra quod mens
Jamdudum senio labans retractet
Omnes delicias, jocos et omnes,
Insueram quibus in mea juventa.
Quare a me, precor, amove hunc laborem,
Ne culpa ingenii aridi, et pusilli
Meque dedecorem, tuamque Musam
Nunc comptam bene, nunc bene et sonantem
Reddam continuo absonam, inficetam.

Ad Joannem de Bosdari.

Quid foetus animi beatioris,
Poscis versiculos, et ad Camoenas
Invitum revocas prece et querelis,
Quas nocte assiduas dieque fundis,
O mihi teneris amata ab annis
Carae progenies meae sororis?
Non hoc horribili repente casu
Pressus tu miser, et gravi ruina
Speres hinc aliquod malis levamen
Quamvis totum Helicona devocâris
Orpheis fidibus, sacroque cantu.
Illam, quam tu oculis, tuaque vita
Plus usque et coluisti, et usque amasti,
Heu tuam illam Helenam tenebricosa
Nox texitque tegetque; nec redire
Aeternae potis obligata morti.
Soli at non tibi flebilis perempta,
Ut putas, eadem est: quot aut videre,
Aut ejus poterant frui decore,
Omnes perdidit, obruitque tristi
Insolabiliter dolore mersos.
Luget exanimis parens uterque,
Et fratres lepidi, sororque pulchra
Luget Eleonora, cui rubentes
Non cessant lacrymis tumere ocelli.

De me quid referam? scit haec senectus
Et haec vix misero superstes aura,
Quantum absorbuit aestus in barathrum
De te sollicitum, furens procella
Ne te una abriperet dolentiorem,
Et carum sine fine nomen heu! heu!
Nequidquam repetentem: ita actus atro
In luctu gemino ferebar aestu,
Nunc te, nunc Helenam tuam ingemiscens,
Funestaque domo et nimis tenella
Orba progenie heu simul relicta.
Sed jam me exanimat dolor; tu habeto
Tristes versiculos Simonideos,
Quales extudit angor; hosce mitto
Pol! flens, ne videar tibi petenti
Tanta in moestitia parum obsequutus.

Cum Augusto Marmontio quosdam suos libros offerret.

Hos, Auguste, libros tibi Patrono
Offert, mnemosynon, cliens Zamagna:
Dites divitias ferunt, et aurum,
Vates pieridas, levesque lusus,
Magnis saepe opibus perenniores.

Perhonorabili viro, ac Domino Friderico Comiti Guilfordio.

Guilfordi Friderice, lux Britannûm,
Jam morbo, et senio gravis Zamagna,
Quem tam humaniter alloquutione,
Et vultu recreasti, ubi ad Rhacusae
Vectus moenia per sinum Adrianum,
Sebetho, ac Tiberi procul relicto,
Venisti; ille tua benignitate
Ita est captus, ut omnia impetrare
Speret posse, sibique polliceri.
Quare te rogat, obsecratque, Ulyssem
A se Romulidûm ore perpolitum
Cures nunc iterum venire in oras
Solis, atque novam inchoare vitam
Impressum arte levi Tipographorum
Vestratum. Id prece si annues vocatus,
Pergratum facies, et obligatum
Ipse se tibi et esse praedicabit,
Et fore his profugi diebus aevi,
Si quos fila trium dabunt sororum.
Illi hoc difficile est, tibique contra
Est pronumque facillimumque, tanta
Florenti Artificum manu sequaci.
Si verò Hesiodum velis Homero,
Et vates Siculos (item Latinè

Et hos namque polivit) addidisse,
Gratius facies, ut et disertis
Notescat labor hic tuis Britannis,
Et fama volitet virûm per ora.
Habes, quid cupiat senex, rogetque
Brevis gloriolae ultimis in annis
Fors plus aequo avidus. Sine ejus aere
Id fiat tamen: heu! crumena macra,
Ceu quondam lepidè Catullus inquit,
Est tantummodo plena aranearum.
Felix vive diu, nec hisce cessa
Jucundis studiis bene et favere,
Et Musas opibus tuis juvare
Totâ in Hellade notus, Atticusque,
Tanquam si e mediis fores Athenis.

IN FUNERE

Georgii Detorres Med: Phys:
Ad Laurentium Giromellam Carrariensem apud Rhacusanos Chirurgiae Professorem.

Post te ne reliquus supersit haeres,
Morborum genus omne quem pavescat,
Heu! mors saeva Georgium peremit
Florentem viridi juventae in aevo,

Cunctisque artibus affatim expolitum,
Giromella, tibi. Valet beatis
Et nunc ille quidem choris receptus,
Fors de te et queritur, quod invidendam
His tu prosequeris vicem querelis,
Ignoscet tamen, et tuo hoc amori
Dabit. Nam pudor, aut modus quis adsit
Damno herclè horribili? quis ullam et artem
Solando inveniat parem periclo
Tâm chari capitis, speique tantae?
Multis occidit ille lacrymandus,
Sed nulli mage flebilis, tibi quam,
Ejus munifice o Patrone laudis,
Quam, nati ut genitor, bonus fovebas
Boni omni auxilio, pioque amore.
At nil vel titulis, vel aggerandis
Bustis proficies: jacet misellus,
Post mortem quoque gratus ipse. Quare
Si nunc quid remedi pote inveniri,
Hoc tantum est: rapuit dies quot illi
Parca immitior, hos tibi at precamur,
Et optamus, ut indigi, invocabunt
Tuam quotquot opem, levamen usque
Sentiant erebo excitati ab ipso
Uno pro juvene hoc male interempto.

Ad Joannem Baptistam Rosani Schol. Piar. apud Rhacusanos eloquentiae Professorem, qui poëtae carmina in obitu Catharinae Ragninae Italicis versibus expresserat.

Rosani, Alpigenûm diserta proles,
Thusco carmina quod latîna versu
Vertisti mea, pol! tuo hoc labore
Rem gratam mihi praestitisse scito.
Nam quae visa fuere, erantque verè
Inconcinna, et inepta, et inficeta,
Ut ipsi mihi lecta displicerent,
Jucundo subito nitore sparsa
Et culta, et lepida, et faceta facta
Ipsi jam incipiunt mihi placere:
Quod est addita tam venusta forma
Tanto ab artifice omnium leporum!

IN NUPTIIS

Joannis Lucae Garagnini et Franciscae Borellae.

Quod tibi et bene vertat, et beate,
O Luca optime! nubis, et puellae
Nubis, quae Charisin decore certat,
Et est flosculus, ac amor Diones,

Ut es tu Sophiae elegantioris
Sectator bonus, et simul disertus.
Jam brevi pater audies vocari
Inter millia multa suaviorum,
Felicemque ferent Tragurienses
Digna auctum sobole, ultimos in annos
Quae vestrum genus, et decus perennet
Claras Illyriae vigens per urbes.
Hoc et auguror, et precor. Poetae
Multa addant alii, canantque. Ego odi
Dicta magnifice parum auspicata.

Ad Antonium de Robertis Med: Phys:

Flos o Cenomanûm, et decus Medentum,
Binâ, Antoni, Equitum micans coronâ,
Ut vidit volucer satus Diona,
Tuum non Athesis, Tagique, et Ebri,
Non Rheni, et Rhodani, et nivalis Istri
Inter millia tot puellularum
Ullam vincere pectus obstinatum
Quisse, risit; et, haud abibit, inquit,
Semper sic; sequar usque praevolando
Quos tu cumque petas procul recessus.
Dixit, seque statim ad sinum Adrianum
Altae in moenia contulit Rhacusae,

Quo tu a Caesare transfretare jussus
Felici Zephyro ferente puppim
Ibas nescius. Huc venis, videsque
(O sortem lepidam, o diem cupitum!)
Fixus Idaliâ repente flamma
Quam Nimpham Deus ipse destinavit,
Vides, et trepidas; adurit aestus
Medullas novus; ac citum exsilit cor.
Jamque ardet paribus puella curis
Icta, et haud placito repugnat igni
Virgo nobilis, et venusta, et omni
Insignis Charitum nitens decore.
O factum bene! clamat ille fraudis,
Joci et compositi artifex Cupido,
Volatque Idaliae in domos, et alte
Laetum sternuit. Haud moreris ergo,
Nec cesses, bone sponse! Noctilucas
Jam quassat faculas Hymen vocatus,
Jam texit Paphias Venus corollas,
Et parant Charites torum jugalem.
I tu, lude; decet die auspicato,
Fac et progenies vocet parentes
Exoptata, bona, et benigna, quali
Se se Brixia jactet, et Rhacusa
Hoc et connubio et beata toedis.

BERNARDI ZAMAGNAE

ELEGIARUM LIBER.

ELEGIA I.

Ad Virginem sine labe Conceptam.

Primam qui vetito Matrem decerpere ramo
    Poma malus vafris impulit insidiis;
Quique suo mortale genus latè omne, parentis
    Unius ob noxam, subdidit imperio,
Lethiferum inspirans virus, quod corpore fusum
    Atque anima, omnigenùm monstra creat scelerum:
Idem ille in colubri faciem conversus, et ora
    Hostis atrox veteri te quoque posse capi
Credidit arte, infans rerum purissima. Non spem
    Tantae illi potuit demere laetitiae
Criminis aut ultrix diri promissa (1) virago
    Impresso elidens monstra nefanda pede;
Aut rubus ille vetus (2), flamma crepitante cremari
    Visus, sed nullam passus ab igne notam,

(1) Cornelius a Lapide in illud Gen. cap. 3. = *Ipsa conteret Caput tuum, et tu insiadeberis calcaneo ejus etc.* = id etiam de Beata Virgine intelligendum affirmat.

(2) Exod. cap. 2.

Unave diluvio (1) referens te, Diva, Carina
Illa jugis tandem sospes in Armeniis;
Proxima vel tellus largo dum rore madescit,
Aridulum, ac nullo vellus ab imbre (2) madens:
Sunt rata signa: tuae foecunda matris in alvo,
At non maternae conscia labis, ades
En concepta. Prius coelesti lampade sanctus
Nempe Amor exussit terque quaterque luem
Incretam, et Stygii exemit mala semina tabi:
Tum nivea finxit candida membra manu,
Sanguinis ipse legens guttas, qui purior, et qui
Matris erat toto in corpore vividior.
Ah! fuge jam, Coluber: viden', ut dia emicet Infans?
Te petit illa, tibi bella, necemque parat;
Hinc Amor, hinc tutam custos tegit altera pulchrum
Gratia stellanti corpus amicta toga (3),
Spesque Fidesque simul, flos ille merus virtutum
Formosam laeto circumeunt thiaso.
Infans o felix, salve! quid vota moraris?
Annae jam nascens egredere ex utero
Nunc infans, olim virgoque, parensque futura
Digna Deo; ex te una est nostra oritura salus;

---

(1) *Requievitque Arca .... super Montes Armeniae etc.* Genes. cap. 3.
(2) Judic. cap. 6.
(3) Ricardus a S. Laur. super Eccl. = *Omne enim ait genus gratiarum, et omnia charismata virtutum intrarunt in Mariam etc.*

Unaque tu generis lapsi pars integra, et una
Quam meritò e nostro vix rear esse satu.
Scilicet Isacides, priscum genus, Heroinae
Tantùm omnes cedunt laudis honore tibi,
Quantùm sublustri rutilantia sidera nocte
Fulgori cedunt cuncta hyperionio:
Qui quum se Eoa mane extulit amphitrite,
Obruta inextinctis ipsa latent radiis,
Nec coelo apparent, nec pingunt aurea templa;
Ille suo tantum fundit ab axe jubar.
Et merito; nam quae parili se jactet honore,
Quae se laude tibi conferat? anne Sara (1),
An formosa Rachel, an Debora fortis, an illa
Assyrio referens quae redit exuvias
De Duce sanguinea caput a cervice revulsum?
Quae prius, eximiae quam retulere decus
Virtutis, dederant Stygiis captiva catenis,
Et phlegethontaeo colla premenda jugo.
Omnibus ille Draco malus ingruit, omnibus ante
Cervicem impositis pressit atrox pedibus.
Cujus tu contra sprevisti sola furorem,
Nec de te exuvias perfidus hostis habet.

---

(1) De Sara in Genesi mentio cap. 11. et sequ. de Rachele Gen. 29. dicitur, quod erat = *decora facie, et venusto adspectu, quam etc.* Judith. lib. 4. = *Erat autem Debora prophetis Uxor Lapidoth, quae judicabat populum.* Vide etiam librum Judith. etc.

Quin, Stygio quamvis epotum in te vomat amne
Virus, si qua ortus loedere fraude tuos
Possit, conantem frustra vincis tamen hostem
Innocuo calcans livida terga pede,
Insultansque. Magis, magis, o, precor, usque scelestum
Auctorem, a quo sunt omnia nata mala,
Omnia sunt nobis felicis gaudia vitae
A quo rapta, magis, dia puella, preme.
Ille suo ereptum per te nostrum genus iri
Infrendens frustra jam sciat imperio;
Et sciat, et doleat vesanus. Cur bona cessant
Gaudia? vicit io magna Puella Stygem;
Vicit; et attonitis laetum mortalibus omen
Iris (1) vicinae nuncia pacis adest.
En iterum, quales nondum ullo crimine foeda,
Anguineo nondum perdita flagitio,
Terra dabat, flores parit undique versicolores:
Illi autem, circum dulce sonans zephyrus
Dum volat, arguto foliorum murmure discunt,
Ut merita es, laudes dicere sancta tuas.
Dicite jam laudes, jamque unâ crescite flores,
Quos alit alma suae terra parens Dominae,
Quosque in serta legens, dicam; tibi munera prima,
Lux mea, pro domita dat Styge noster amor;

(1) *Hoc est signum foederis...... arcum meum ponam in nubibus etc.*

Addam etiam cantus, sed quos nec Pieris ulla,
In sylvis Phoebus nec docet Aoniis,
Humor Hiantheae qua defluit Hippocrenes,
Et vatum epoto corda ciet latice.
Ingenium dabis ipsa; unam te nostra sonabunt
Carmina; tu nostri carminis auctor eris.

ELEGIA II.

Ad Virginem nascentem.

Qualis noctivagae Phoebes (1) nitor almus Olympo
Emicat, ac niveis evehitur bijugis;
Qualis ab Eois nimbo conspersa rosarum
Memnonis illa parens prosilit aequoribus;
Qualis et, imbriferas ubi guttas auricomus sol
Permeat, in vario lumine versicolor,
Post hyemem jam depulsam, post nubila tetra,
Formosae facies Iridos exoritur;
Talis ades nascens: quid talis? ne bona saevi;
Quin potius vati parce Puella tuo.
Pauperis hoc vitium linguae, quae nescia fari est,
Quod videt, attonitis sensibus in te inhians,

---

(1) Cant. Cant. 6. cap. 6. = *Quae est ista, quae progreditur, quasi Aurora consurgens, pulchra ut Luna etc.*

Mens animi, puras quum primum lucis in oras
Matris felici laberis e gremio:
Conatur tamen ipsa, potis si dicere, et omnes
Verborum nequidquam anxia versat opes:
Vestigatque undas, poti queis ducere vates
Suerunt Ismariis culminibus nemora,
Atque Hebrum Tanaimque bibêre: heic deficit humor
Pegaseus, fons heic aret Apollineus:
Rerum nulla refert species te, Diva, venustum
Nil est, quo non sis tute venusta mage.
Quippe venis, qualem voluit Sator ille supremus,
Et voluit, qua nec pulchrior ulla fuit,
Nec melior, volvens te (1) aeterna in mente, priusquam
Mundi libravit moenia ponderibus,
Effuditque auras latè, certisque revinxit
Terrarum clausum finibus Oceanum,
Sidera et immisit coelo. Tu namque fuisti
Illud opus, majus quo nihil ipse Deus
Condidit, et solem quamvis et sidera prompsit
E tot inexhaustae mentis imaginibus,
Tantaque virtutis tua sunt exordia (2), nondum
Nata omnes omni ut Tu decore antevoles.
Nil igitur conferre tibi se se audeat; atqui
Non ideo has humiles sperne, Puella, domos;

---

(1) Proverb. cap. 8. *ab aeterno ordinata sum etc. quando etc.* Vide Expositores in hunc locum.

(2) *Fundamenta ejus in montibus sanctis; Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob*. Psalm. 86.

Has tibi praecipuè rerum Pater ipse paravit,
    Praecipuè tellus condita et astra tibi.
Aspice fulgentem lunam, quae, dum aurea coelo
    Ducit sidereas, nocte silente, faces,
Optatum per lassa dabit tibi membra soporem
    Pallidulâ teneros luce fovens oculos.
Aspice et Auroram; rubuere ardentia coeli
    Templa, rubent longè culminaque, et siluae:
Haec tibi solis erit praenuncia. Jam nova rerum,
    Quoquo oculos vertas, se facies aperit:
Tethyos en purâ prodit sol almus ab unda,
    Vanescunt tremulis sidera luminibus,
Nusquam atrae est facies noctis: tantum ille coruscans
    Littore ab Eoo littus ad Hesperium
Spicula diffundit lucis volitantia; quae se
    In septem postquam stamina dissoluunt,
Omnibus ille suus rebus color, omnibus illa
    Et forma et species floribus enituit.
Tum Libani Te (1) cedri, et Sioniae cyparissi,
    Tum vocat, atque ingens palma oleaeque viror,
Et nigro platanus campo, Hiericuntis et illa
    Ambrosium os rubro tincta lepore rosa:
Dumque vocant, placidas zephyris mutantibus auras,
    Adsonat omne avium per nemora alta genus,

(1) Eccl. cap. 24. *Quasi Cedrus* etc. Lege sic Rupertum etc.

Colluditque iterans blando tua nomina cantu.
O quae tam felix nasceris, haud metuas
Heic habitare; tuo si nunc dignabere terram
Adspectu, veterem se induet in speciem:
Qualem habuit, miseram quum nondum perdidit Heva
Decepta inferni fraude mala colubri:
Omnia sunt illi primum hoc de fonte coorta
Tot mala, et omnigenae semina nequitiae:
Quae cunctis natura parens infausta suorum,
Hausere ut primae tempora vitae homines,
Insinuat penitus; tibi sed, quae colla Draconis
Presseris in carae matris adhuc gremio,
Haud unquam insevit. Semper curaeque, metusque
Longè aberunt, falsae et gaudia laetitiae,
Et spes, et desideria, atque aestus animorum,
Transversos qui nos turbine corripiunt,
Absorbentque atrum in barathrum. Tibi pectoris omnes
Motus pax certo foedere certa reget,
Nullo inconstantis fortunae agitabere casu,
Nulla tuum invadent nubila consilium.
Quae sunt recta, voles: atque inter recta sequeris
Optima quaeque; in te candida lux inerit;
In te dius Amor, puram qui saepius auras
Te levis hinc pennis evehet aureolis
In superas altè volitans, ubi purior aether
Et supra Sinain, et juga Thaborea
Ridet, et haud ullo concussus turbine saevit,

Illic tu nigris altior et nebulis,
Altior et nimbis, ventisque furentibus, omnes
Despicies casus, despiciesque minas,
Queis humilis regio haec miscetur. Quare age laeta
Regina o terras ingredere, ipsa decus
Ipsa aderis magnum columen mortalibus aegris;
Quos inter quum me videris, affer opem
Jactatoque, vagoque; orto jam sidere tanto
In medio incolumes ibimus Oceano.

ELEGIA III.

Ad Virginem Deo se in templo dicantem.

Tantane te capiunt carae fastidia Matris?
Sic ne audes patriis cedere liminibus?
Ah properos cohibe gressus; quò, dia Puella,
Te rapis? an celsae templa petis Solymae
Virginibus (1) virgo decus accessura? quid eheu
Te sine jam mater, te sine jam genitor

---

(1) Multa sunt hac in re haud obscura, aut incerta; magnaque opinionum varietas est inter Auctores, qui de hujusmodi argumento scripsere. Nihil tamen heic dictum est, quod cuiquam temere dictum videri jure possit; quum ea ferè omnia, quae describuntur, non levis Auctoris alicujus nomine, atque auctoritate nitantur.

Heu quid agat? tecum solatia rapta senectae,
    Omnis tecum unâ lucis abibit amor,
Iste tuus praesens quem pridem adspectus alebat,
    Nunc absens multa perdit amaritie,
Et quamvis te non teneant, suspirat uterque
    Attamen, ac tepidis orà rigat lacrymis.
Ire tamen tu pergis: eunti ignoscite, tristem
    Et fletum avidulis tergite luminibus.
Illam ducit Amor: dio quis pugnet Amori?
    I, quo tantus agit, sancta Puella, Deus.
Ipse fores reserat, dextram tibi porrigit ipse,
    Ut facili valeas limen adire gradu,
Auratum templi limen, magis aptus in orbe
    Istis quo nullus moribus esse locus,
Nulla potis mage digna domus. Tu candida nempe es
    Illa columbâ (1), olim missa per imbriferos
Quae tractus, nondum quum sederat aestus aquarum,
    Abdita queis tellus maxima delituit,
Ut sedem haud reperit, latè omnia circumspectans,
    Quiret ubi niveos ponere lassa pedes,
Extimuit; plausumque alis fugiens dedit, et se
    Laeta iterum navi reddidit incolumem.
Scilicet in terris alibi num sistere posses,
    Heic ubi commixtum fas simul atque nefas:

(1) Genes. cap. 8. *Emisit quoque Columbam post eum, ut videret..... quae quum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam* etc.

Tot scelerum facies, tam multae unde undique pestes
E stygio excitae circumeant barathro.
Quarum nulla tuos poterit corrumpere mores,
Nulla isthuc inferre ausa pedem poterit
Te puram terrere. Audin'? jam numen in alma
Aede sonant, numen carmina sacra canunt;
Thureus ante aras dum se vapor evehit altè,
Tu divino afflatu intus adusta animum,
Suspirasque, ardesque, atque uno nomine gaudes
Ora, sinumque tepenti imbre madefaciens.
Qualis ubi aurato subnitens cerea lychno
Concepit flammae vim facula igniferam,
Illa quidem mollita liquescit ab igne, simulque
Cuncta renidenti luce loca exhilarat.
Huic similis flesque, ardesque, et jam vix capis ipsa
Plenam exultanti pectore laetitiam,
Qua socias inter gaudes jam sede recepta
In templi. At verso cardine jam crepuit
Postibus occlusis heu janua. Quis mihi tete
Invidet, et cupidis subtrahit ex oculis?
Pande fores nimium immitis quicumque minister;
Men' longè posse hac Virgine abesse putas?
Ergo te nunquam posthac, formosa, videbo
Abstrusam in magni numinis obsequio,
Nunquam ego te adspiciam posthac? At mente tuebor,
At certè gratis pascar imaginibus,
Haud aliter, quam si manifesto in lumine praesens

Praesentem obtutu conspicer assiduo.
Ac modo siderea (1) suffusam luce videbo
Ardenti sacras fundere ab ore preces,
Quas alacer charitum circumvolitans chorus omnis
Excipit, ac sedes evehit ad superas,
Astra super Solisque jubar: modo sacra canentem
Carmina, vel prisci temporis historias
Volventem, ac memori figentem in corde tuorum
Illa tot adspiciam grandia facta patrum.
Saepe etiam cernam, Superûm famulante coronâ,
Adposita in tela ducere ab arte notas;
Ut varii immensos per coeli didita tractus
Numinis ad nutum fulserit haec species,
Et nihili novus e latebris emerserit Orbis,
Non qualis nunc est dira lues hominum,
Cunctarumque simul virtutum triste sepulchrum,
Nescius ast ipsis cedere sideribus.
Saeva parens, tantine fuit decerpere pomum?
Te miserans coeptum fortè remittit opus.
Nunc mea virgo, tuosque horret dum effingere casus,
Daedala acus saepe illi excidit e digitis;
Flet quoque, et anxifero suspirat pectore. Quid fles?
Non tibi, sed nobis saeva parens nocuit.
Aurea quin tenui rursum velamina filo

(1) Aliqua heic officia, atque munera referuntur ex iis, in quibus Puellae, quae alebantur in Templo, juxta verosimiliorem opinionem exercebantur.

Pinge age, et artifici pollice rursus acum
Docta cape: en quatuor video de partibus amnes
Coeruleo sedes tramite dividere
Elysias, tempe felicia: ver ubi semper,
Puraque ubi coelo lux sine nube micat.
Hic princeps est ille hominum; circa volucrum vis
Plaudit, et agnoscit terra suum dominum,
Agnoscuntque ferae omnigenae, floresque videntur,
Qua se fert, prono vertice suppliciter
Ipsi etiam venerari. Alia stat parte Puella
Pulchra os, ac flavis conspicienda comis,
Quas inter zephyrus ludit lascivus: at illi
Non coma, non curae est jam decus oris; hians
Arbore sub viridi tantum stupet aurea mala,
Quam formosa, legi non minus apta manu.
Illam anguis blande cernit, ramoque volutus
Mala inter squamis enitet aureolis.
Heu quid agit! niveam poma ad fatalia dextram
Porrigit: ah isthoc, dia Puella, precor,
Mitte opus! heic Heva pro tristi missa Virago
Illa polo potius magna locum teneat;
Quae premet inferni collum fatale Draconis
Siderea in flavo serta gerens capite.
Hanc tu dum pinges, supplex venerabere, et unam
Quot fuerunt, quot erunt, Matribus anteferes.
Hanc, ego te venerans, semper venerabor, et ipsam
Esse velim, Vates cui placeam ante alios.

ELEGIA IV.

Ad Virginem nubentem.

Non temere insonuit laetis concentibus aura,
Clarior et solito lumine tota nitet:
O venias, mea Nympha: sacras Hymenaeus ad aras
Ecce tibi casti vincula conjugii
Aërium coeli croceis findens iter alis
Et gerit, et tali laude superbus ovat
Coelicolum in thiaso. Viden', ut pars candida nectit
Puniceis pulchrè lilia taeniolis,
Pars in serta rosas addit tibi suave rubentes,
Quas prius ambrosio rore rigavit Amor;
Dius Amor, numquam visus qui laetior ante
Fulget inaurata candidus in tunica,
Sidereoque faces succensas igne coruscans
Jam cupit optanti tradere te socio.
Ne dubites huic, Virgo, tuam concredere dextram;
Flagrat, at innocuo flagrat amore animum;
Dicetur jamque ipse tuus, diceris et ipsa
Jam sua, sed primum stabit utrique decus,
Virgineus sed stabit honos, devotaque coelo
A primo aetatis vere pudicitia.
Hoc felix tibi conjugium Deus auctor Olympo
Spondet, et hunc socium destinat ipse tibi:
Hos etiam placidi vitream Jordanis ad undam

Inter plaudentûm Naïadum choreas
Felices dulci cantu celebrare hymenaeos
Est suetus Salomon ille tuus Proavus,
Magnorum soboles pulcherrima Jessidarum:
Ille amor hic fuerat castus, et almus hymen,
Cujus saepe nova capti dulcedine colles
Palmiferi exiluere, et juga cedrifera.
At tu, cui talem fatorum arcana dicârunt
Nuptam, justitiae (1) proemia magna tuae,
O nimium felix gaude; tibi tradita cura
Illius est purae Virginis, ulla fuit
Qua neque amabilior Superis, neque carior usquam,
Nec mage virgineo nobilis ingenio.
Nam quodcumque facit, quoquo sua lumina flectit,
Admovet illa virùm sensibus omnigenae
Virtutis stimulos, castique accendit amoris
Non prius expertis vota cupidinibus.
Nunc tamen haec eadem tactus exosa viriles,
Certaque non legem frangere virgineam
En tibi se credit, nec dedignatur amantem.
Quippe illi in te uno tanta reperta fides,
Omnia qui tenerae praestes bona commoda nuptae,
Atque eadem, intacto corpore, tecta colas.
Ac veluti, amplectens vitem, ulmus tristia flabra
Ventorum, validae sustinet atque hyemis

(1) *Joseph autem.... cum esset justus* etc. Luc. cap. 1.

Immota incursus; carae tu nempe Puellae
Sis tale in duris casibus auxilium.
Hoc faciet; mens haec illi: socialia tecum
Partiri vitae commoda cuncta volet,
Atque tui decoris (1) custos, atque additus unâ
Moeroris, Virgo, laetitiaeque comes,
Coetera connubii tibi cedet jura, sat uno
Munere contentus, quod tuus esse queat:
Hoc ipse an potuit majus contingere votum,
An quidquam melius poscere Coelicolas?
En quà regna patent Phoebi flammantis ad ortum,
Quàque idem Hesperio tingit in amne rotas,
In terris facies non hac formosior ulla,
Non est et virtute auctior ulla anima;
Fulgere cuique magis rerum illa aeterna potestas
Eximie semper laudis honore dedit.
Quare agite unanimi quos jungit foedere toeda
Pura ferens puris gaudia conjugibus,
Consulite o terris ambo: jam candida coeli
Stillantis dio nubila rore pluent;
Jam tellus inarata almo faecunda vigore
Pollicitum tumido proferet e gremio
Florem (2) Jesseum, suavem qui sparget odorem
Stellarum sedes ultra hyperionias,

(1) *Desponsata est Viro justo non violenter ablaturo, sed potius contra violentas custodituro etc.* Ait Augustinus de Sancta Virginit.
(2) Isai. cap. 2. *Egredietur virga de radice Jesse et flos* etc.

Illaque lucidulo clausae se cortice conchae
    Gemma nitens pulchris exeret aequoribus;
Cujus naturamque simul miratur, et ortus
    Doris, et invisi seminis unda vigor.
Aetherea certè nascetur origine proles,
    Nascetur, qui vos nomine saepe vocet,
Teque suum dicat patrem; tibi, candida Nympha,
    Parvus ab admotis pendeat uberibus.
Tunc animus quis erit vobis? quae mens bona purae
    Laetitiae admirans gaudia concipiet?
Illa specus Bethlea, illud mihi testis et antrum,
    Nunc tantum bruto grata domus pecori,
Thure olim dignanda, atque ipsis aemula stellis
    Regales multo vincet honore lares.
Dicere plura mihi vetitum: immortalia Musae
    Mortali prohibent facta docere sono.
Et jam concussit flagrantem lumine fausto,
    Subridens placidè, loetus amor faculam;
Ipsaque secreti linquens penetralia templi
    Arguta Virgo concrepuit solea.
O venias, nova nupta, novum columen nuptarum;
    Annulus in sponsi clara micans manibus
Candidulum poscit digitum, quo fulgeat aptus,
    Aeternam et fulgens servet amicitiam.
Gaude Amor, o gaude felix Hymenaee, peracta
    Omnia; jam nupsit vestra Puella viro,
Et pulcro suffusa genas pudibunda rubore

Nupta rubet, qualis Sole pudoricolor
Os perfusa rubet tithonia matutino,
Ac roseis prodit tethyos e foribus.
Sis felix, mea vita; die si videris isto
Me facilis, felix semper et ipse ferar.

ELEGIA V.

Ad Virginem, Coelesti Nuncio accepto.

Quisquis, ades, fer thura pius: vos ite profani,
Ite, et sacratis cedite limitibus;
Siderei en rutila coeli venit (1) ales ab arce
Numinis (alarum nosco ego jam sonitum,
Ambrosios nosco crines, nec fallor), et ista
Fulgentem loetus ponit in aede pedem.
Jam subiit: quid, Virgo, tulit, quae verba loquutus?
Me miserum, trepido pectore sollicita
Turbatae (2) similis suspiras! Cur ita spargis
Virgineo niveas moesta rubore genas?
Qui timor hic tantus, quae tristia nuncia terrent
Attonitam? certe gaudia loeta tulit:

---

(1) Luc. cap. 1. *Missus est Angelus*.
(2) *Quaequum audisset, turbata est in sermone ejus etc.* Cap. 1. Luc.

Loeta piis hilares portendunt gaudia Divi.
Felicem diae germine te sobolis,
Felicem matres inter te dixit, et unam
Cunctis omnipotens quam Pater antetulit.
Idne times, Virgo, materno et nomine palles?
Ah istum trepido pone metum ex animo.
Mater eris, sed Virgo simul: Deus ipse parentem
Te sibi jam legit maximus; et metues
Ne tibi virgineus pereat flos? purior imo
Adflatu extiterit numinis, ac melior.
En repetens animo priscorum oracula Vatum
In te illud matrum casta Puella decus,
Foecundam in te illam divinitus Heroinam
Agnosco, o quid me laetius esse potest?
Quid magis optandum terris contingere? Salve
Lux bona speratae conscia laetitiae,
Salve, Ales; salve, quot sunt, Iesseidas inter,
Maxima! jam promissa ergo erit illa dies,
Ergo erit, o Virgo, qua post discrimina rerum
Multa, ignominias post tot, et opprobria,
Quae misere patrio tulimus pro crimine sontes,
Libera jam dabitur solvere colla jugo,
Jam Coelum sperare: hominum per te genus omne
Nunc melius faustis nascitur auspiciis,
Ac decus amissum spondet sibi; tu modo, Virgo,
Elue femineum femina triste scelus,
Aetheria foecunda aura. Si dura resistes

Irrita per coelum vota ferent zephyri,
Mersaque Lethaeo spes usque innabit in amne.
Haud etenim nostrae tollere tristitiae
Tantillum quisquam potis est, te praeter; ab una
Nostra salus pendet nempe, vel interitus.
Exitium ah! nostrum ni vis crudelior Heva,
Humani te jam tangat amor generis.
Hoc matris lacrymae, hoc genitor te poscit: an audes
Hos quoque speratis demere sideribus?
Qui te nutribant quum parvam, tot bona, totque
Eximii dotes eximias animi
Mirantes, meliora sibi, meliora solebant
Haud temere sperare omni hominum generi;
Fors quoque promissam terris te saepe putabant,
Quae digna et diae matris honore fores.
Excidit an facinus, Stygii quo colla Draconis
Pressisti, quo non fortius esse pote!
Tempore jam ex illo melius confidere nobis
Coepimus, et nostram agnoscere te dominam.
Nunc tua at immenso celebrabitur aethere fama;
Nunc terris nullo tempore deficiet,
Quin longo aetatum senio magis usque vigebit,
Clarescetque magis nomen ubique tuum;
Hesperius noscet, cultor te noscet Eous,
Supposita et geminis ultima terra polis,
Virtutemque suae colet et benefacta Parentis.
Auguror: haec etiam ipsa haec domus illyricos

Aëra (1) per liquidum procùl hinc petet advena colles:
O nemora, o colles Illyriae, o Libano,
Engaddique jugis quae tum loca praeferat illa,
Gaudete ipsius, dum licet, hospitio;
Certatim, haec Virgo, hic juvenis quibus institit ales,
Oscula sacratis figite liminibus,
Non tanto gaudere diu nam munere, tanta
Non vobis longum laude frui dabitur.
Jam volat Adriacos fugiens super ardua fluctus,
Vectaque littoribus sidit in Ausoniis,
Qua nemora adclivi paullatim laurea calle
Surgunt Picenis edita verticibus;
Sedem illic, cultumque volet: tu, Dalmata frustra
Desertam ut redeat rursus in Illyriam,
Littoris adversa patrii flens tristis in ora
Sparges aeoliis vota ferenda notis.
Illic Diva sibi sedem leget ipsa, potenti
Illic Ausoniam numine Diva teget;
Excitaeque ferent illuc sua munera gentes,
Quas et Arabs, quas et ditior Assyria,
Indiaque aurifero submittit littore merces,
Concharum et genitor parturit Oceanus.
Sed mihi quae subito lux emicat? annuit alma (2),
Annuit, o! laetus nuncius ecce redit.

---

(1) Vide Tursellinum in *Historia Domus Lauretanae*.

(2) *Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini: fiat mihi* etc. Luc. cap. 1.

Ille secat roseis coelum pennis, Deus alvum
 Virginis in castam labitur omnipotens.
Concipis en Virgo dium sine semine foetum,
 Nec quà in te venit, quà subiitque via,
Mirans agnoscis; plenam te numine tantùm,
 Unigenamque utero noscis habere Deum.
Ceu quando florum per germina matutinus
 Lenè fluens puro liquitur axe liquor,
Rore madent pellucidulo, rore omnia latè
 Canescunt, blandum, nescia quà subiit
Intra se, rorem sentit rosa, sentit et udum
 Sublucens violae purpura aperta sinum;
Omne genus florum sentit, penitusque recepto
 Et viget, et molli germine quisque tumet.

ELEGIA VI.

Ad Virginem in Montana proficiscentem.

Ergo etiam (1) in montes, atque addita montibus antra
 Audebis, patriâ Virgo profecta domo,
Ire gravis foetu, nuper concretus in alvo
 Qui tua inextincto numine dius inest,
Quique tibi carus certe est, quam quod pote carum

(1) *Exurgens autem Maria..... abiit in montana cum festinatione* etc. Cap. 1. Luc.

Esse mage? Ah tenerae parcere tam refugis
Si tibi, si quemvis audes perferre laborem
Magnanima, et duris casibus indomita;
Sat Pharias olim fuerit contendere ad oras,
Inque Canopaeis degere littoribus;
Parce tuae nunc o proli miserata; quid illam
Exrucies? lasso corpore languidula,
Aut nimium propero figens vestigia gressu
In sentes quoties vulnificos pedibus,
Asperaque offendes in saxa, dolebit et infans
Ah tener, ah vulnus sentiet ipse tuum,
Ingemet et gemitu audito. Si tantus Elysae
Te consanguineae tangit amor, sobolis
Jam potior matrem tangat cura. An tibi vota
Haec puer in tacito suscitat ipse animo?
Sic certe est: non haec ejus sine numine fiunt;
Ille per ignotas te jubet ire vias.
Tune illi haud parcas? tu frondiferas convalles,
Celsaque montanis edita verticibus
Antra petas illo invito? non hoc tuus iste
Non sinit in puerum credere magnus amor.
Nunc utinam comes ipse forem, ne sola viarum
Scabra per, et saevos ingrediare rubos;
Praecurrens, quacumque ires, citus omne polirem,
Virgo, solum, ne quid mollibus officiat
Plantis, aut silices, ramorum aut fragmina; et o quam
Perstarem tanto laetus in officio!

Quamquam iter hinc esset longè tibi trans Atlanta,
Trans Indum, trans et Caucaseam glaciem.
Te sociâ, quid enim haud ausim? sed tute loquentem
Deseris, et cupidum me renuis comitem?
I, mea Virgo, regat sic te supremus ab alto
Ille Pater, cujus fers utero unigenam;
Sic dius te servet Amor; sic serviat uni
Quidquid habet tellus, quidquid et axis habet.
Nubila jam pluviaeque absunt: sol purior igni
Splendeat, et, clara luce supervehitur
Dum solito mage laetus, ubique hilares hyacinthi,
Liliaque, et violae suave magis niteant:
Omnibus et rebus veniat nova gratia, et omnis
Jam natura omnes pandat opes Dominae.
Fallor? an et volitans rutilas huc ipse per auras
Aligerûm Gabriel agmen agit juvenum,
Qualis formosos inter formosior ignes
Occiduo lotus vesper in oceano?
O, nymphae bona jussa ferens, qui nuncius axe
Adstiteras nuper missus ab aetherio,
Idem tu, Superos inter pulcherrime, Divam
Duc age, et incoeptae sis comes usque viae;
Neve illi solis noceat vis acrior, alas
Pande caput supra virgineum roseas:
Pennarum objectu radii frangantur, at illa
Gaudeat umbroso tramite ferre pedes.
Interdum et platano subeat defessa, neque ultra

Tendat iter: scabro praecipue e silice,
Muscus ubi, et vario vestit se gramine tellus
Versicolor, si fons lene sonans fugiat
Saxa inter, similis pellucidulae cristallo,
Heic illa assideat: seu velit aridulo
Ore sitim relevare, oculos seu claudere somno;
Ipse feret latices rivulus ad cyathum,
Lumina, dum lento trepidans fertur decursu,
Ipse soporifero murmure fota teget.
Omnia sint jucunda; hinc atque hinc saepe volantes
Aligeri fratres germina odora metant;
Et quacumque pedes Virgo feret, imbre rosarum
Purpureo spargant desuper omne solum:
Pars niveis Divae pedibus subjecta prematur,
Ibit pars tremulis ludibrium zephyris;
Qui dum frigidulo mulcentes aëra flatu
Spirabunt, ramis tecta sub arboreis
Suavior organico cantus dabit ore liquentes
Daulias absumti non memor illa Ityos.
Si velit et blandis tecum sermonibus horas
Fallere, sermones cura tibi serere
Sit, quoscumque animo scis ipse placere Puellae,
Illam quos melius posse tenere putas:
Ut minus ignoti gradiens fastidia callis
Sentiat, optatam dum bona visat (1) Anum,

(1) Luc. cap. 1. ait Zacharias: *Uxor mea processit in diebus suis* etc.

Quae simul ac longe venientem a limine nympham
    Viderit, occurrens protinus exiliet,
Amplexusque ferens, atque oscula dulcia figens
    Haerebit Dominae collo, humerisque diu.
Mox etiam propiore Dei jam numine plena
    Fatidicos vero solvet ab ore modos:
Scilicet indignam (1) se se, quam candida visat
    Virgo eadem ac magno foeta Deo mulier.
At quae ibi proh! Virgo, contra tu verba loqueris;
    Quam miranda, et quam magnifica evolues! (2)
Felices, quos tu dignaris visere! felix
    Et mater, felix matris et ipse puer!
Qui jam longaeva succrescit sanctus in alvo,
    Matris et (3) exultans rumpere claustra cupit,
Praesentem ut videat, sibi qua veniente refulsit
    Lux nova, et insueto munere dius amor.

(1) *Unde hoc mihi, ut* etc. Luc. cap. 1.
(2) *Magnificat anima mea Dominum* etc. Cap. 1. Luc.
(3) *Exultavit in gaudio Infans* etc. eodem cap. Luc.

ELEGIA VII.

Ad Virginem Divino Partu jam perfecto.

Non Ver floriflerum ridet, non aura Favonî
Lene ciet pennis aequora purpureis,
At fera Idumaeos latè nix obruit agros,
Jordanisque alto constitit unda gelu,
Frigida et hybernae volvuntur sidera noctis:
Tu gelidae ingressa in pumicis hospitium
Ah qualem puerum Virgo paris! o bona mater,
Quam pulcher (1) tuus est, quam puer hic similis
Est tibi! non certe matrem rosa, non amaranthus
Purpureo melius purpuream ore refert,
Parvus ubi explicuit molli de cortice frontem.
Ut capit, ut memet surripit ille mihi,
Huc istos blandè quoties convertit ocellos,
Queis etiam posset vincere vim chalybis,
Aut si quid chalybe ipso usquam pote durius esse,
Vincor io! tantae ferre negant oculi
Mortales lucis flagrantia spicula; nosco
Numen; in humano corpore quippe subest,
Nec tacitè prodit se se. Velut obvia soli
Quum se se aut nubes, aut vapor opposuit,

(1) Psal, 44. *Speciosus forma prae filiis hominum* etc. Nicephorus autem Callist. his lib. 1. cap. 40. *Persimiliem denique per omnia fecit divinae, et immaculatae suae Matri.*

Objectu et radiis intercipit; ille, corusci
    Quamquam intercepta parte latet jubaris,
Haud tamen omnino tegitur, nebulamque per ipsam
    Fundit inextinctas lucis ab axe faces.
Sed Deus est quando puer editus, heicne jacebit?
    Nec minus hoc fuerat vilis in orbe locus?
Heic igitur, Virgo, heic inter deserta ferarum
    Lustra pruinosis pervia flaminibus,
Rupe sub hac scabris pendentibus undique tophis
    Nudus in agresti stramine pro viola,
Pro molli narcisso, pro languenti hyacintho
    Iste tuus ponat lactea membra puer?
Humani ille salus generis spesque unica, longè
    Proh dolor! humano pulsus ab hospitio est;...
Et tremit, et gelida vagit projectus in ulva,
    Aurea sidereo cui micat axe domus.
Te tamen haud pudeat vili peperisse sub antro,
    Tantus ubi est infans, tantaque ubi est genitrix;
Ille capit sedes, quidquid formosius unquam est,
    Ille ipsis domus est aemula sideribus.
Quin etiam tempus veniet, quum rupibus hisce
    Invideat tantum maxima terra decus;
Nilus, et Euphrates, Ister, flavusque Garumna,
    Ille suam Aegyptum oblitus, hic Armeniam,
Theutonicas arces alii, Gallumque potentem,
    Hac fluere undisono tramite quam cuperent!
Quam riguo rupes adtactu has lambere! dumque

Hac fluerent, solito lentior unda foret.
Jam video et lapsis quaesitum oracula rebus
Haec loca et Eoos et petere Hesperios
Trans freta, trans montes longè: quin Martia Roma
Hanc septemgemino vertice suppliciter
Exiguam colit ipsa specum, nil aurea curans
Illa suo quondam templa superba Jove.
Jupiter hic melior puer est; latet ille, suumque,
Hoc nascente, caput condidit in Stygii
Horrentes Erebi latebras, informe barathrum,
Quo nos jam blandis egerat insidiis,
Ni tu, Dia Parens, peperisses. Omnia nobis
Sunt bona de tanto nata puerperio.
Ac gemitus, fletusque, atque auxiferi singultus
Sunt versi in subitae gaudia laetitiae:
Pax regnat, pax alma viget: tuque inclyta magnum
Virgo in Achemeniis nomen habes domibus.
Laeti adsunt; en certè adsunt, ducentibus astris,
Non rude pastorum vulgus, et agricolae,
Ast Arabum (1) Proceres delecti, prima Virorum,
Qui tibi, qui puero ditia dona ferunt
Littoribus longè a patriis. Hos tu bona cernes
Quum gnati ambrosios proruere ante pedes,

---

(1) *Ecce Magi ab Oriente venerunt* etc. Joannes cap. 2. et Ps. 71. = *Reges Tharsis et Insulae munera offerent: Reges Arabum* etc.

Laetanti excipiens vultu solabere: et o quam
Dimittes hilares rursus in Arabiam!
Illi felicem te dicent: unaque certè
Matres tu felix mater es ante alias,
Quae tantum edideris Puerum, cui contigit uni
Tale decus. Gremio tune fovere Deum?
Tu potes et diae acclinis dare basia fronti,
Inque os lac niveis exprimere uberibus.
Ille tibi adridet; te obtutu fixus in una
Gaudet tam de se cernere sollicitam,
Ac matrem agnoscit sua tendens brachia; et ora
Quum movet, o quantum te, mea Mater, amo,
Dicere hiante videtur jam jam velle labello,
Atque tuo illius pendet ab ore anima.
O, si quid merui, Vatis subeat quoque cura;
Blando me me oculo fac Puer adspiciat:
Fac quoque uti, foedum sit quamvis, hoc capiat cor;
Si capiet, nivibus purius illud erit:
Nec mihi jam posthac, tibi vivam at, Virgo, tuoque
Huic Puero, quo nil extat amabilius,
Seu gelidum resonis implet vagitibus antrum,
Lactea seu ridens ubera forte petit.

ELEGIA VIII.

Ad Virginem se in Templo lustraturam.

Etsi Amor aetheriâ gravidam te fecerit aurâ,
Dius et intacto prodierit gremio,
Natura mirante, puer; qualis vitreum (1) lux
Effluit innocuo tramite per speculum,
Aut pellucidulam per aquam; tamen, o mea Virgo
Candida, et a partu purior ipsa tuo,
Tune etiam matres inter lustranda profanas
Alta Palestinae templa petis Solymae,
Cura nec illa subest, ah! te ne ignara virorum
Turba putet reliquis matribus assimilem;
Vulgaresque inter ponat malè? Quò tuus ille
Nunc magnus cessit virginitatis amor?
Quò tua fama? ista non certe lege teneris:
Lex ea in immundum lata puerperium est.
Nulla in te humanae fuerunt (2) contagia labis,
Nulla itidem in pura culpa pianda manet.
Atque etiam (3) geminas dulci fers dona columbas

---

(1) S. Basilius Orat. *in Nativit. Christi* eamdem adhibet similitudinem, et Cornelius a Lapide in cap. 2. Luc.

(2) S. Bernardus Serm. 3. de Purific. ait = *Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum.... Vere, o Beata Virgo, vere non habes causam, nec tibi opus est purificatione.*

(3) Levit. cap. 12. = *Quod si non invenerit.... nec poterit offere agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum.*

Pro gnato, niveis qui tibi ab uberibus
Abstractus patrias jam jam sistetur ad aras,
Ac Superos terris pacificabit heros.
Heic aliquid certè majus latet: eja age, Custos,
Aerato templi cardine pande fores;
Thure vaporatam, lustrali et rore parentem
Excipe, quaeque tulit munera suscipias.
En subit illa: veni jam, Virgo; piacula prima
Facta; licet sancta ponere in aede pedem;
Quisque locum tibi cedit, et admiratur euntem:
Tu dejecta solo lumina, corde preces
Concipis in tacito, pudibundo incedis et ore,
Admissae veluti conscia si maculae,
Multarum una fores veluti tu femina. Mirum
Ah frustra quaeris jam decus occulere;
Te vultus tacitam prodit tuus. Adspicis? unam
Te cupit, in te inhians ille senex (1) oculis
In media gestit solam te visere turba.
Ut magnae praefert gaudia laetitiae,
Utque tuum amplexu gnatum petit! o bona Mater,
Felicem optato pignore redde senem,
Ne renuas cupido tantisper tradere Natum.
Dic age, quid viso tantum inhias puero?

---

(1) Luc. cap. 2....... *Cui nomen Simeon, et homo iste justus, et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus Sanctus erat in eo* etc.

Quid tantum in pulchra tibi mens stupet Heroina?
Certè est et soboles nota tibi, et genitrix:
Ac velut Eridani ripis, aut Asia circum
Flumina, vicini conscius interitus,
Laetior ingeminat jucundo gutture cantus
Albus olor, resonant et nemora et silüae:
Tu quoque sic nimium felix jam morte sub ipsa
Fatidica ad suaves ora modos aperis.
Scilicet haud vitam (1) producere longius optas,
Quum jam pollicitam videris aetherio
Semine progeniem, nostrum quae sanguine crimen
Eluet, et claro lumine discutiens
Noctem atram, latè magnum quae sparsa per orbem
Mortales miserè nigra acies hebetat,
Plorantesque, vagosque, et tantae lucis egentes
Nos ducet sedem Coelicolum in superam,
Ulla nec oceano tellus extrema refuso
Illius se se subtrahet a radiis.
At quos tu memoras luctus (2)? quae dira parenti
Supplicia? anne ullus tam ferus extiterit,
Qui non depereat puerum, qui mollia matris
Transadigat ferro pectora luctifico?
Ah metuas ne, Virgo; tibi jam pignora reddit

---

(1) *Accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit* = *Nunc dimittis servum tuum Domine* etc. Luc. cap. 2.

(2) *Ecce positus est hic in ruinam.... et in signum cui contradicetur, et tuam ipsius animam pertransibit gladius* etc. Luc. eodem cap. 2.

En senior; quin tu Sancta quod instat, age,
Siste patri Unigenam, cujus nunc fama feretur
Inclyta trans Indos, trans et Hyperboreos;
Cumque sua matris quoque fama vagabitur ingens,
Magnanimum superis hoc bona si dederis
Munus Diva. Videsne altum discedere coelum,
Mirari et cupido lumine Coelicolas
Jam non infestos mortalibus aerumnosis?
Ipse Deûm tanto munere jam Genitor
Gavisus ponit minitantia fulmina dextrà;
Hostia pro innumeris millibus una sat est.
O factum bene! progeniem tu sistis ad aram.
O puer, o humani unica spes generis,
Rite Sacerdotum manibus nunc victima Patri
Dum tu magna volens sisteris, o nimium
Felicem, his me si vinclis, si corpore solvas!
Primus uti in sedes nuncius Elysias
Adveniam: atque idem spectacli testis, ego hisce
Vidi oculis, dicam, vidi egomet, proceres
Isacidae o fidi, puerum, quem saepe vocastis
Solliciti multis non sine muneribus;
Quem fore victorem, quemque unum nostis Olympo
Vos posse, ac rutilis reddere sideribus.
Ipse Patri se devovit; gnatum optima mater
Obtulit immortale ausa animo facinus.
Audiet Heroum haec hilaris chorus, audiet Heva,
Illi et manabit conscius ore rubor.

Sin, hoc ne immeritus possim contingere votum,
Abnuis, at liceat dicere carminibus
Matrem, Sancte, tuam, liceat mi ferre per ora
Haec ipsius facta atque alia atque alia:
Tuque eris in carae matris pars carmine magna;
Suavius admixtum nomen utrumque sonat.
Annuit ecce Puer votis, tuque annue, Virgo,
Donaque fac rata sint pro pietate mea.
Omnia jam sperem; nihil est potis illa negare,
Quae modo pro me gnatum obtulit ipsa suum.

ELEGIA IX.

Ad Virginem stantem juxta Jesu Crucem.

Si quid mi verè miserum contingere, si quid
Mi potuit, fixo vulnere quod penitus
Ipsam sedem animae laniaret, contigit eheu
Id certè, quum te, loeta prius genitrix,
Loeta, et cunctarum fortunatissima matrum,
Heic video, heic cari supplicium capitis
Spectantem, et lethum, quo nec crudelius ullum,
Nec mage probrosum jam queat accidere.
Vae miserae! quali dicam te fervere luctu,
Curarum quantis millibus intus agi!

Quamque alto absorbens aerumnae (1) vortice amaror
Tristis in abruptum te pepulit barathrum!
Nam mihi quid matrem (2) memorant Ismaëlis? illum
Quid, nati postquam (3) sanguineas retulit
Exuvias fraterna manus, patrem externatum
Et gemitu, et luctu perditum? uterque dolor
Magnus, at aequandus non isti: vincis ut omnes
Prolis amore, ipsa et moestitia superas,
O mater, quid jam mater? tu ne illa beata,
Aetheria et felix dicta parens sobole,
Tune illum edideras, quo non formosior alter,
Non erat in terris alter amabilior?
Heu nimium brevis ille fuit decor, heu nimium flos
Ille cito casu languït aridulus.
O ubi caesaries flava est, ubi candor, et ille
Purpureus niveo mixtus in ore color?
Quale rosis lac puniceis si sparserit, aut si
Ostro inflammârit candidulum quis ebur.
Illa ubi delituit species? ubi lumina, sidus

---

(1) Juxta illud Thr. 2. *Magna est veluti mare contritio tua etc.* cum prius dixisset Jerem. = *Cui assimilabo te, aut cui exaequabo te, Virgo* etc.

(2) Intellige Agar, cujus in Genes. fit mentio. Cap. 15.

(3) Tulerunt autem tunicam ejus, et in sanguine hoedi, quem occiderant, tinxerunt..... Scissisque vestibus, indutus est (Jacob) cilicio lugens filium suum (Joseph) multo tempore.... noluit consolationem accipere: sed ait, descendam ad filium meum lugens in infernum etc. *Genes.* 17. *cap.*

Ah geminum? et dulci dulcia melle magis
Verba, leporque, quibus per frondiferas convalles,
Perque juga, et saltus, et nemora, et scopulos
Attonitum, oblitumque lares, ac tecta trahebat
Post se se dio vescier adloquio
Optantem vulgum? Vix ipsum agnoscere mater
Nunc potes: effusus lurida membra cruor,
Liventesque notae flagrorum undeundique foedant,
Vulneraque inflictis addita vulneribus,
Ulla nec in lacero pars integra corpore restat,
Nullaque vulnifico pars caret exitio.
Tempora proh! spinis cohibet paliurus acutis:
Harum aliae infixâ cuspide per cerebrum,
Perque genas fecere viam, miserabile visu,
Horrendumque! oculos per medios aliae
Luctificam exertant aciem madidamque cruore:
Qui partim guttatim imbre fluit tepido,
Partim etiam undanti rivo per membra volutus
Ubertim duros inrigat et lapides.
Nate Deo, oh nimium fluxit jam sanguinis: ah jam
Parce, precor! curnam te amplius excrucies?
Tanti igitur mortale fuit genus? huccine tandem
Nostra salus, huc te nostri amor abripuit?
Paenarum satis exhaustum: jam desine; et ipsi
Ni tibi vis, matri, lux mea, parce tuae;
Quae moesta attonitos numquam declinat ocellos
A te jucundo germine: nil loquitur,

Sed stat (1), et aegrescens pallet ceu saxea, fletus
Et premit (2) aegrescens saxea uti effigies;
Nempe et verba dolor, moesta et suspiria magnus
Obruit, atque ipsis clausit iter lacrymis;
Ne quod sollicitae lenimen forte veniret,
Neu minor in penito cura animo fureret,
Una duos dabit exitio, lux ipsa parentem
Heu rapiet, gnatum quae rapit exanimem,
An non suffixum sic foedo in stipite mater,
Sic te discerpto corpore suspiciens,
Pallentemque, aegrumque, et lethi limine in ipso
Protinus ereptis sensibus ipsa cadet?
Infelix; non certe illi praecordia circum
Stat lapis, aut duro dura riget chalybe.
At rigeat: tellus nonne ipsa excita dolore
Bruta cavernosis ingemit e latebris?
Velle minatur et horribili subsidere hiatu
In Styga; flent montes, fluminaque, et nemora;
Neu tantum aspiciat Titan scelus, abdidit atro
Axe jubar nigram conditus in nebulam,
Ardentesque oris radios extinxit, et auream
Detraxit flavo caesariem capiti
Umbrarum per opaca horrens, cui sanguine sparsa

---

(1) Joan. cap. 19. *Stabant autem juxta Crucem Jesu, mater ejus, et soror* etc.

(2) Juxta illud, S. Ambrosii *Consol. in Valent. obit*, dicentis de eadem = *Stantem lego, flentem non lego* etc.

Jam soror atratos obvia jungit equos,
Inducitque polo stellas, quae triste micantes
Funereas referunt nocte silente faces.
Quid mater? quae, dira suus quot vulnera natus
Corpore habet, totidem saucia sentit amans
Cuncta suis impressa locis. Amor insidet illi,
Et laevo in miserae sculpit atrox latere
Exanimem nati effigiem, teloque cruento
Ipsius usque instans pectora transadigit.
Ferreus ah! certè est, et ferro durior ille,
Qui tantam potis est cernere saevitiem.
Parce, Amor, o quovis crudelior hoste, secare
Multifido innocuae Virginis ense sinum.
Ecce suae in matris noscit se pectore gnatus,
Illa refert nati vulnera quaeque sui;
Sauciat atque parens gnatum, gnatusque parentem,
Alter et alterius pendet ab ore tamen.
Numnam etiam audebit cari moestissima Virgo
Perferre extremum pignoris interitum?
Ipsaque frigidulos manibus componere ocellos,
Sparso et sanguineas tergere crine notas?
Hinc ah! cede procul: gnati latus impulit hastà
Miles, et aerata cuspide cor terebrat.
Ah procul hinc concede: a parva Virgine novi
Magnanimam, sed quae maxima jam potuit
Esse, fuit virtus: simul ipsa animam exhalabis
Cum nato, ipsa cades victa dolore simul.

Jamque labat. Comites o fidae, abducite Divam,
Nullus et extincti nuncius adveniat:
Incolumem servate: illi dum caussa doloris
Filius edomita morte, Erebique duce
Victor ovans clara det sese in luce videndum,
Spargat et optatae munera laetitiae,
Ante alios matri ostensus, cujus mihi luctus
Nunc ipsam et vocem surpuit, atque animam.

ELEGIA X.

Ad Virginem Terris decessuram.

Quod mihi curarum saevis tot fluctibus acto
In vita reliquum dulce levamen erat,
Coeperat et quo uno mitescere tristis amaror,
Atque dolor fieri in pectore jam levior,
Sollicitum qui me tenuit, qui mi expulit omnem
Laetitiam, ac suaves delicias animi,
Ex quo deseruit tua nos illa aurea proles,
Ille Deus magni Numinis unigena,
Id quoque nunc raptum mihi. Scilicet ipsa
Coelicolum properas addere te choreis
Astra super longè a terris flammantia templa.
Gaudia tecum una, tecum abeunt charites,
Et nostras quaecumque valent solatia mentes

Lenire, ac tristem demere moestitiam.
Nam qualis per prata nigrae post nubila brumae,
Post et threicii saevitiem Boreae,
Lenior adspirans genitabilis aura Favoni
Surgit odorato chloridos e thalamo:
Aut qualis tumidum nautis pavitantibus aequor
Lucida hyperboreo stella sub axe micat;
Talis erat nobis, Virgo, tuus, aurea, vultus,
Tali praesentes usque juvabat ope.
Scilicet una aderas mortalibus aerumnosis,
Quacum nil illis triste timere fuit,
Qua sine nec gratum contra, nec amabile quidquam est.
Cui me, cui flentes deseris ab socias
Thaboridas Nymphas, Nymphas Libantidas? esse
Profuit expertem quid patrii sceleris;
Quid magnum intacta Numen gessisse sub alvo;
Non minus ingratae funera Persephones
Ipsa etiam si Tu subeas, fatoque perempta
Heu propero hinc alias abripiare plagas?
Nonne tuum est, quodcumque vides! Tibi sidera Mundi,
Hic varius rerum vertitur ordo tibi,
Et perfusa tuo formosa est lumine tellus,
Adspectu et recreas quidquid ubique viget.
Omnia quae contra nunc squallent, omnibus omnis
Effugit e rebus, te fugiente, decor;
Atque atrae apparent facies: ipse ignea Titan
Auricomus rutili languidior jubaris

Spicula diffundit; quae, dum sublimis ab axe
  Lustrat Idumaei Thaboris hospitia,
Eque tuis, Virgo, succendere suevit ocellis,
  Et fieri adspectu clarior ipse tuo.
At non ille miser, neque enim pote noscere damna;
  Nos miseri, nos hic perdidit interitus;
Qui bona quot rapuit nobis, tot munera laudum,
  Tot tibi nunc meritae gaudia laeta feret:
Ut quae una heic fueras pulcherrima formosarum,
  Sis quoque in aetheria maxima honore domo.
Debuit anne diu in terris haec forma morari,
  Aut laude haec virtus tanta carere diu?
Hoc igitur, quamquam sit continuis lamentis
  Deflendum nobis, flebile dissidium,
Jam non et doleo, laetor magis: anne Parentis
  Aetheriae meritis laudibus invideam?
Jampridem. o coelo digna, ac fulgentibus astris,
  I, Regina, domos ingredere o superas:
Sat tellus tibi culta diu est: nunc Regia coeli
  Te vocat effuso Coelicolûm thiaso
Effulgens latè, tibi plaudunt sidera, et unâ
  Aurea flammeolo (1) serta parant capiti.
Ecce altae patuere fores; viden' omnia Divûm
  Agmina in occursum laeta volare tuum?

---

(1) Apocal. 2....... etc. *in Capite ejus corona Stellarum duodecim* etc.

Ardenti, viden', et taedas dum quassat Olympo,
Pulchra Amor ut pulcher fulgeat in chlamyde?
Ille praeit nubem, qua tu levis astra subibis,
Flaventis rutilam lumine crysolithi,
Ac variis mira arte coloribus intertextam,
Iris ceu suevit fulgere versicolor.
Qui fremitu circa comitum, quae carmina, quantus
Undique odor suavis funditur ambrosiae!
I felix; verum ipsa inter tot culmina laudum,
Tantaque coelestis gaudia concilii,
Si bene quid de te merui, ne sperne jacentem,
Neve sine, immemori me effluere ex animo.
Ah procul iste metus; non es, quam gloria mutet:
Hinc cedes, nostri sed memor usque (1) feres
Sidereo magni e solio Regina Tonantis
Optatam in duris provida rebus opem.
Usque aderis terrae; sua per te fulmina ponet
Jam Deus, et fontes pandet opum omnigenos,
Orantem quoties blandè conspexerit: isti
An matri quidquam deneget Omnipotens?
Sed levis ex humili surgens tellure per altum
Jam veheris, jam nos deseris aethereis
Circumfusa choris, rutilasque evecta per auras

---

(1) S. Bernard. Serm. de Nativit. Virg. = *Sic est, ait, voluntas ejus, qui omnia nos habere voluit per Mariam* etc. - Et S. August. = *Sicut omnibus sanctis est potior; ita omnibus Sanctis est pro nobis sollicitior.*

Languidulis te te subtrahis ex oculis.
Jamque lates: qualis(1)quondam suave quum halans thus
Uritur, aut costi gramen Achemenii,
Excitus ille solet multo vapor igne per aras,
Qui latè in campos diditus aërios,
Flagrantique hilarans minus, atque minus loca odore
Spectantûm cupida diffugit ex acie.
O ubi es? ah liceat nutantibus aëra pennis
Findere, et aurati limen adire poli,
Aligeros inter Juvenes quum regna triumpho
In tua regifico vecta pedem intuleris,
Quumque tibi dulci (2) occurrens cum conjuge proles,
Ostendens et opes, quas habet illa domus,
Imperii, sociam (3) bona Diva, acceperit, ut te
Coelicolae attonito lumine suspicient!
Ut subito impleri laetum dulcedine pectus
Quisque novâ adventu sentiet alma tuo!
Ipsa autem immenso divini in lumine vultus
Absorpta ut penitis sensibus exilies!
Cur tenet ah tellus? Utinam super aethera vecter!
Aoniis valeat lympha petita jugis.

---

(1) *Quae est ista, quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae, et thuris, et universi pulveris pigmentarii* etc. Cap. 3. Cantic.

(2) *Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Cantic. cap. 8.

(3) *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* etc. Psalm. 44.

ELEGIA XI.

Adolescens Societatem Jesu ingressurus Deiparam Virginem ita precatur.

Quae tibi Aloysius demisso poplite ad aram,
Virgo, tuam, floris foedera virginei
Dum vovet, ardenti poscebat pectore, multis
Haec eadem posco non sine lacrymulis
Nunc ego suspirans, quum jam, tua jussa sequutus,
Praegestit mi animus se addere Lojolidûm
Agminibus, nomenque dare. O novus, o bona Mater,
Miles ego purâ te, face, mente colam,
Ulliusq haud labis mihi conscius. Infremat hostis
Tartareus, Stygio jam licet in barathro
Arma paret; sed, Virgo, tuo sub numine tutus
Vim simul ac tectas despiciam insidias:
Qualis secreto clausus Narcissus in horto,
Quem multa agrestis sedulus arte fovet,
Vim ridet boreae, nec, si micet auricomus sol,
Hoc reduces credit cloridos e gremio
Jam zephyros, gestitque auras invisere, tectus
Sed latitat, saevamque horret adhuc hyemem,
Contemnitque idem, dum se novus exerat annus,
Possit ut ille nova luxuriare coma.
Felices! quos iste hortus flores habet! ipse

O etiam felix numine, Diva, tuo
Miles in his castris! quae quamvis undique magno
Armorum circum clausa sonent fremitu,
Et stant, et semper stabunt immota, neque umquam
Victa adytum pandent hostibus: illa vetus
Dum tua praesidii non desit gratia, quam mi
Nunc exposco oculis anxius uvidulis.
Annue: poscentes audis facili aure, nec ullus
Sensit munifica te sibi abesse manu.

ELEGIA XII.

Ad Sanctum Aloysium Gonzagam.

Si vacat, atque inter divini nectaris haustus
Si qua tuo nostri cura subest animo;
Has tibi, dum violas, hunc puniceum narcissum,
Liliaque haec puris alba dico foliis;
Huc ades, o Gonzaga; et tu, cui vita peracta est,
Cui tuto in portu salva carina sedet,
Aspice nos rapidis fortunae fluctibus actos
Tot syrtes inter, saxa tot, et scopulos,
Ventorumque minas, magno qui murmure complent
Omnia, et adverso turbine bella gerunt.
Non ita, quas olim cautus vitavit Ulysses

Æacidem secum per freta ad Iliacos . . .
Transportans muros, Sirenes, gens fera Nerei,
Deceptos perdunt virgineo ore viros;
Non ita blanditiis multos formosa Calypso
Detinet, et solis filia in Ogygio
Illa solo spondens fallacia gaudia natos
Dimovet a recto tramite, et horribilem
Induit adcitos in vultum, et terga ferarum,
Ut me (veh misero!) dira pericla premunt.
Quam dirae facies vitiorum undeundique cingunt!
Jam cedo; atque hostis jam capit exuvias,
Nec possum erectos tantillum ad sidera vultus
Ah! miser, et sedes tollere ad aethesias,
Quin subito, montis ceu saxum e vertice, solvit
Quod pluvia, aut aevi illapsa lues, graviter
Volvitur in praeceps, imasque petit convalles,
Sic magno ad terram pondere pressus agor.
Ah! mihi ne sensus inflectat prava voluptas,
Et capiat blandis pectus imaginibus,
Fac, precor; atque animi fluctus compone furentis:
Da vires, tantis subleva ab aequoribus
Languentemque, vagumque; potes namque omnia coelo,
Et numquam surda respuis aure preces.
Testes Europae populi, Libiaeque, Asiaeque,
Cultoresque Indi littoris, et Scythiae,
Qui te morborumque vocant, mortisque potentem,
Et votiva tuo dona ferunt tumulo.

Ipse etiam tanti, Lodoix, non immemor umquam
Promeriti grates carmine persoluam
Pierio, lauroque meam parnasside frontem,
Cinctus Apollinae fila lyrae digitis
Percurram victor, molli tunc stratus in herba
Qua viridi purus fons scatet e lapide
Prosiliens, dicam, quo cretus sanguine, carus
Quam fueris Superis, cum puer aetherias
Felici partu venisti in luminis auras:
Ut te virgineo laeta fovens gremio
Relligio instituit, tibi virtutum ut chorus omnis,
Et charitum quidquid pulchrius esse potest,
Indulsit puero: dicam flagrantia puro
Corda igne, et mentis robora magnanimae,
Qua census que, et opes praebentes pabula fraudi
Sprevisti, et mollem desidiam, et choreas;
Quanta itidem fuerat sacris te dedere totum,
Atque his continuò pascere cura animum:
Qui pudor ex oculis, quae rara modestia se se
Prodebat. Nam quis jura pudicitiae
Tempore, quo primo fervebas vere juventae,
Sic coluit? quis te fortior illecebras,
Et fraudes Veneris fallaci lusit in aula
Tot Regum? jam te cernere jam videor
Moerentem, et magno curarum turbine pressum,
Cum tibi sors, ludi victor et imposuit
Oscula femineae defigere blanda figurae,

Quam muri adverso pinxerat in latere
Umbra altè projecta: quis ah! te ludere, quis te
Impulit? ut toto pectore tunc misero
Sensibus ereptis tibi mens excessit, ut ire
Optasti solas quolibet in latebras,
Et comitum longè te te subducere coetu,
Qui tibi tunc justi causa doloris erant!
Parce tamen lacrymis, frustra Venus, atque Cupido
Luteola circum candidus in tunica
Saepe volans tali sperat te perdere fraude,
Parce, inquam, nec te jam amplius excrucia.
En tibi siderea subitum descendit ab arce
Auxilium; tutus sic pudor almus erit.
Aspice suppositos Jessaee in pariete matris
Vultus, quos puris dius Amor manibus
Nunc sculpsit, primamque luem detersit, et atras
Insidias: i nunc da oscula, sidereos
Virginis atque inhia vultus, satiaque tuendo
Mentem animi. Ut castus spirat ab effigie
Et lepor aetheria atque ignis! quam totus in illa
Suspiras lacrymis ora tepefaciens!
Quam frueris visâ! ignarus, tibi quale minetur
Supplicium cultrix Idalii nemoris,
Quaeque Paphon tenet, indignata, quod auseris illam
Spernere; jamque Aetnae saxa petens Siculae
Advocat exesis e visceribus telluris
Vulcanum, et fluvios in tua damna movet,

Atque adeo Odrysias Tyrrheno in marmore puppes
Armat, ut e patria littus ad Hesperium
Tendentem Ausonià capiant, et ferrea collo
Vincula captivo scilicet injiciant.
Sed quid triste crepans te contra flamma, quid unda
Ticini, aut poterit soevities Nomadum?
Cuncta ego quae quondam referam: tu me eripe tantum,
Dive, procellosis eripe vorticibus,
Et rege tot vitae scopulosa per aequora, donec
Attingam sospes littus et incolumis.

ELEGIA XIII.

IN MORTE

Catellae Comitis de Firmian ad Astronomos Braydenses.

Aurea qui puro servatis lumina coelo
Intenti vitreis nocte silente tubis,
Candida sic vobis speculam super usque serenis
Invecta alitibus fulgeat Urania,
Unanimes socii, tu Reggi provide, tuque
Qui clarum a claro Caesare nomen habes,
Huc animos adhibete ambo: nam Cynthius auctor
Nuntia me vobis magna referre jubet.

Vera fero: visi juro per numinis ora,
Perque lyram, et sacri caesariem capitis:
Illa canis nuper florenti in vere juventae
Erepta ingrato funere Firmiadi,
Quam flerunt vates, quam tunsae pectora palmis
Laurigero flerunt in nemore Aonides,
Quam viva Leucon mansuram in imagine finxit,
Omnigena Leucon Palladis arte potens,
Non stygias Orci subiens exterrita sedes
Ferrea tergeminum vidit ad antra canem
Latrantem foedè, nec limine Ditis in atro
Horruit anguicomae verbera Tisiphones:
Nil grave perpessa est: at celso in culmine Olympi
Stellarum varias concelebrat choreas,
Sidus facta novum, villisque micantibus ardet
Per noctem tremulis flammea luminibus.
Nec tamen ipsa novo tantûm laetatur honore,
Quantùm almo a Domino se abfore conqueritur.
Cui postquam suavem donarat regia Nympha
Austriacae aeternum pignus amicitiae,
Illecebris blandi gavisa est semper amoris,
Mutuaque officii signa rependit hero.
Et nunc illa licet superis in nocte fruatur,
Luce autem recubet Tethyos in thalamo
Ambrosiâ faturata, cupit discedere coelo,
Et Domini rursum ponere se in gremio,
Ac circumsiliens motare volumina caudae,

Basiaque objectis ferre inhians manibus;
Sed prohibent leges fatorum, atque omnibus astris
Addita per tractus vincula noctivagos.
Vestrum ergo explorare, poli qua parte locata
Altè in sidereo concilio rutilat;
Falcatum an juxta tollentem Persea ferrum,
An vinctam in duris cautibus Andromeden?
Quam prope stat genitor Cepheus, vultumque retorquet
Heu misera a gnata Cassiopaea parens
Æquorei pavitans monstri venientis hiatum.
An claram juxta vim Amphitryoniadae,
Cujus adhuc trepidat Lernaea a robore pestis,
Nequidquam ardentes dum vomit ore faces?
An comes it potius volucri, quae vertice ab Idae,
Ut nectar fundat suave Iovi, puerum
Formosum ah rapuit puerum, quo protinus Hebe
Exarsit viso saucia amore animum,
Regiaque indoluit Iuno, nova furta coacta
Omnivoli in propria cernere sede Iovis?
Est etiam Orion tibi vulnera, Taure, minatus,
Quem canis iratum subsiliens sequitur,
Et gemina ostendit rutilantia sidera vultu,
Arcturi tardos et fugit ante boves.
Proxima sive illi, seu longè viva moratur
Babbiola, haud ulli parcite vos studio,
Omnia lustrantes per vasti caerula mundi
Sidera, inextinctis dum rutilant radiis,

Gentibus ut certas possitis dicere leges,
    Quo spatio, quo se tempore circumagat,
Usque per impressos figens vestigia tractus
    Stellatis ingens addita fama choris.
Num subit oceani fluctus? num condita quondam
    Ingreditur solis lampada flammiferam
Obtutus fugiens hominum? num visa per umbras
    Nunciat aestatem, frigora vel boreae,
Vel magis autumni luces, vel purpureum ver
    Florea odorato serta gerens capite?
Cuncta haec sunt vobis signanda: at parcite nomen
    Vertere: Babbiolam dicite Firmiadae:
Sic dici quoque sidus amat. Non orta sequetur
    Hinc minor amborum gloria et ingenium,
Et nomen, retulit sibi mens quam dia Cononis,
    Qui Berenicaeam vidit in axe comam
Uvidulam dominae a fletu quam cloridos ales
    Sustulit e phariae sedibus Arsinoes.
Pulchra Venus flavam radianti lumine cinxit,
    Clamavitque novum sidus adesse Conon,
Quo facto Ptolemaeus, et ipsa hilaris Berenice
    Senserunt subitae gaudia laetitiae,
Laudaruntque senem, nec dona ingrata merenti
    Certatim tanto pro officio dederunt.
Anne his Firmiades gratus minus? an minus illi,
    Quam coma Reginae, cara catella fuit?
Et gratus certè est, quam qui pote maxime; et olli

Cara catella fuit, quam magis esse potis.
Cur ego non tantum valeo? sit sidera nosse;
Arida Pieridum flumina deficiant!

ELEGIA XIV.

Ad Pacem.

Quae nova discordes animos in foedera jungis,
Nec sinis aeterno fervere marte neces,
Cur adeo miseras refugis, Dea candida, terras?
Formosum oh campis exere ab Elysiis,
Exere, Diva, caput, nec cesset ab aethere puro
Iris in aureolâ versicolor clamyde
Gaudia ferre aegris mortalibus: o bona Diva,
O Pax, o Pacis nuncia sancta redi!
Adspicis, ut toto saevit Mars impius orbe,
Ut Stygiis motae sedibus Eumenides
Bella cient, bellumque ferunt! furor, iraqua regnat,
Omniaque immani turbine fracta labant!
Quod tantum heu! crimen tibi nos admisimus? aut quid
Tantis nos belli fluctibus exagitas
Plorantesque, vagosque animi? jam parcere tempus:
Jam quintum ignipedes aureus egit equos
Signifero Titan in calle, ex quo incita contra
Agmina in adversas vidimus ire acies;

Vidimus et raptis viduos cultoribus agros,
Oppidaque extinctis civibus orba suis.
Quid trans oceanum clades, quid funera dicam
Inter semiferos horrida Terrigenas?
Sanguine quid Gallum, quid sanguine rubra Britannorum
Æquora, cumque sua Doride Nereïdes
Jamdudum in patrii latitantes gurgitis antro,
Dum cernunt multas per sua regna rates?
Quove aliae rapitis terrae, quas Martius ardor
Perculit? ante alias me movet una plagas.
Saxonia infelix! quae te fata aspera vexant?
Quis tua sat fando damna referre potest?
Saxonia, o tellus fortunatissima quondam,
O domus, o sedes dives opum omnigenûm,
Aurique, argentique ferax, populoque superba
Magnanimo, dic, quo priscus honos abiit
Jam non ille tuus? quisnam tua turpiter ora,
Quis tua sic ferro pectora dissecuit
Vulnera vulneribus jungens? heu triste sepulchrum
Ipsa tui, et pariter civium acerba cinis!
Vix te praeteriens noscit, noscensque viator
Iam miseram, et lacero corpore semianimem
Ingemit et moesto ducens suspiria corde,
Heu! quantum huic nocuit vis fera Martis, ait.
Scilicet ingentis pars in te maxima belli
Effusa, in te unam saevit Erynnis adhuc.
Ergo jaces, qualis, rapido qua vortice flamma

Transiit insani percita vi Boreae;
Qualis et ille jacet campus, quem flumine torrens
Praecipiti effracta mole supervehitur,
Et segetes sylvasque rapit: videt omnia, et anni
Amissam longi spem gemit agricola.
Parcite jam Reges; vos vestra in viscera ferrum
Stringitis: haec vestro sanguine terra rubet.
An non progenies Populi sunt vestra? sine illis
Quid juvat à Bactris imperium ad Tanaim?
Tuque prior pietate, prior tu in foedera Conjux
Caesaris, et magnis edita Caesaribus
O Regina, tuam jam tende in foedera dextram,
Iam tua victrices signa redire Aquilas
Alma jube: Augusto sic te nova germine ditet
Illa Nurus, qua nil est tibi amabilius,
Qua nihil in toto viget usquam pulchrius orbe,
Quae te animi egregiis dotibus una refert.
Jam veniat Pax fausta: redi, o pulcherrima Divûm,
Atque iterùm terris otia cara refer.
Te circum lususque volant, risusque, jocique;
Te circum pennis gaudia purpureis
Luxuriant semper: tibi pictor daedala tellus
Foecundo flores educat in gremio.
Nam simul auricomum ostendis caput aethere, spicas
Pulcra tenens nivea nobilis in tunica,
Continuò suavis, quà tenditur Amphitrite,
Omnia diffusus per loca serpit odor,

Quo subito irriguae ceu quondam in montibus Idae
Conjugis adventu Iupiter exiluit,
Fragrantesque comas miratus, et oris honorem
Certa dedit magnae pignora laetitiae;
Excita laetatur tellus, Ceres arva revisit,
Pampinea in pulcro serta gerens capite
Bacchus ovat: laetus redit ad sua munera pastor,
Et canit ad rivum lenè sonantis aquae:
Ars viget, et ponto repetit commercia nauta,
Copiaque e cornu divite spargit opes.
Sed quò progredior? referam quot sidera coelo,
Lactea quot spissis zona micat facibus,
Innumero quamvis numero sint illa, prius quam
Ipse tuae dicam munera cuncta manus.
Ergo veni sacrâ frontem circumdata oliva;
Dum petimus blandâ gaudia tantà prece.

ELEGIA XVI.

Ad Aquas Viterbienses,
quum ipsis uteretur Rogerius Boscovichius.

Limphae, quae Cimini Thuscis e collibus ortum
Ducitis, et medicam gurgite fertis opem,
Quam non Phyllirides Chiron, non ille Machaon,
Nec dedit Arsinoes incluta progenies;

Florea sic circum vos semper gramina vernent,
Sic vobis calido rore ministret aquas,
Omnigenos contra morbos bona semina miscens
Daedala frugifero terra parens gremio;
Nunc fluite o faciles, nunc vestro in flumine sacro
Alma Salus, praeses laetitiae insideat.
Ille meus flos Pieridum, flos ille leporum,
Ipsius atque ipsum delicium Uranies,
Vos nunc Rogerius celebrat, cui cruribus haesit
Nescio qui pulsa non bene tabe tumor,
Ex quo Threiciis miserè perpessus in oris
Persephones duram saevitiem extimuit.
Quidquid id est, lenite; undisque salubribus actum
Tyrrhenis propere mergite in aequoribus,
Vincat ut incolumis Nelidae Nestoris aevum,
Seclaque Memnonii Laomedontiadae.
Dignior haud certe quisquam est, cui tempore nullo
Defectura neant tempora nocte satae
Illae Erebi nigrae, fatalia monstra, sorores.
Nam quis se se illi laudibus anteferat?
Quis mage doctrinae niteat fulgoribus? Illum
Prae cunctis unum suspicit Ausonia,
Quae puerum camplexa sinu, veluti bona gnatum
Mater, fraudatae surpuit Illyriae:
Suspiciunt Gallique, Britannique, et, genus acre,
Theutones, horum et laude superba sua est
Gens quamvis, plauditque pari vel dis Neutono,

Cartesiove, acri sive Leibnitio;
Quorum ille assidue secreta arcana revolvens
Naturae immensum promovet imperium,
Atque alia ex aliis partes ingressus in omnes
Rerum obscura suo discutit ingenio:
Ingenio, cujus non vim effugere ulla potis res,
Aut coelo, aut terris abdita deliteat.
Nec vero Alcmenae Mideatidis Heroines
Ille olim natus tot fera perdomuit
Monstra pererratae vasto telluris in orbe,
Quot meus haud ulli cedere sueta hominum
Rogerius portenta errorum sternere quivit,
Dextrae non usus robore clavigerae,
Sed rationis ope, atque acris diâ ingenii vi,
Et passim visenda omnibus objicere,
Jam pulso terrore. O quae prior extulit umbris,
Quam nova sunt! quam sunt, Iupiter, egregia!
Quarum ego tam varia distractus imagine rerum,
Omnia dum cupio dicere, nil valeo.
Illa velut biferi Tempe per roscida Paesti,
Seu Penei Tempe propter odora, vago
Quae pede discurrit florum studiosa puella
Aureolo sertum suave parans capiti,
Pallidulis violam dum calthis versicolorem,
Et cypriis praefert alba ligustra rosis,
Haeret inops, anceps; et quem modo praeterit, illum
Respiciens florem pollice avet legere;

Rursus et alterius correpta cupidine formae
Deserit, ac vano decipitur studio:
Cuique suus stat nempe decor, sua gratia cuique
Insidet, atque suo quisque lepore placet.
Non aliter varias efferre in carmina laudes
Illius incassum conor ubi, innumero
Obruor a numero. Me quaevis namque volentem
Allicit, allectum pulchrior at retrahit
Visa alia, et melior quae se postrema videndam
Nequidquam cupidos obtulit ante oculos.
An numerem astrorumve vices, Triviaeve labores,
Solis et atratas orbe nigrante rotas?
An radios diae lucis, numerisque revinctam
Terrarum emensa mole superficiem?
Lunaresque undas, certosque agitata per aestus
Aequora, qua se se submovet oceanus?
Inventumne illud referam, quo pulchrius unquam
Nulla tulit, posthac nec feret ulla dies,
Quo decus immortale viri magis usque vigebit
Hac, atque illa aetate, atque alia, atque alia?
Scilicet obscuris obnoxia legibus ante
Corpora, et implexis reddita principiis,
Ipse nova primus suffudit luce retexens,
Omnes et fraudes sustulit, et tenebras,
Gliscere verborum suevit quibus ante Lycaeum,
Et vocum lites conserere omnigenas.
Namque ubi dispexit, nullam rem posse meando

Uno eodemque statim tempore diffugere
Per saltum abreptam, paullatim at sumere vires,
Paullatim et sumptas ponere, perque gradus,
Protinus edixit vim quoque in corpore inesse,
Quae modo in occursum dissita cuncta trahat:
Ac modo, quum propius venere attracta, repellat,
Mutuo et adtactu cuncta coïre vetet;
Partibus unde etiam nullis, nullaque figura
Praedita materiae scire elementa licet,
Exigua, atque minuta inter se se obsita inani,
Hinc atque hinc haerere haud minus apta suo
Usque trahentis, pellentisque in limite. Ita omnes
Rerum corporeae proveniunt species
Dissimiles positu diverso principiorum,
Diverso et qui eadem limite limes habet.
Non ego sed totâ si proluar Hippocrene,
Non si Gorgoneo deferar altus equo,
Omnia jam possim complecti arcana reperta,
Dicere nec quanta hinc fluxerit utilitas,
Quanta seges rerum, rebus quam certus et ordo
Omnibus, et ratio scilicet; et species.
Certius en multò jam nunc natura profatur,
Quam Clarii sacro Pythia de tripode,
Illius e scriptis, audax quae carpere frustra
Livor, et incani temporis arma volent.
Huncne ego sic meritum non optem vivere longum,
Cumaeamque ipsam vincere Deiphoben?

Ah valeat, vigeatque: illum donate salute,
    Et rapidum nostros in mare ferte metus,
O quocúmque magis cupitis vos nomine dici
    Pulchrarum Limphae gaudia Naïadum!
Non vos parva manet pro tali gratia facto;
    Nec donum oblitis excidet ex animis.
Jam celebres, jam laetae eritis: vestra alite pennâ
    Ibit ad extremos fama Boristhenidas.
Quotque salutiferi fontes celebrantur ubique,
    Optabunt vestrum jam sibi quisque decus.
Insonuit liquor ecce: salus ex aethere lapsa
    Implevit vestros, Numina sancta, lacus.

ELEGIA XVII.

Ad Josephum Marottum
de laudibus Ignatii Venini sacri oratoris clarissimi.

Qui Demostheneae miratus fulmina linguae,
    Et cultam Actaei munditiem Isocratis,
Cecropio suavem mage melle, et floribus Hyblae,
    Ipsarumque ipsis deliciis Charitum;
Qui mage vim Tullî miratus vincere utrumque
    Certantis, Latio vota probante Jove,
Saepius invidique, illos et jure vocavi
    Felices, priscis aurea temporibus

Quos tulit illa aetas in magna aut Palladis orbe,
Aut semptemgemina Martis in urbe satos;
Jam nihil invideo, Marotti candide, Grajis,
Invideo antiquis nil ego Romulidis;
Cedere nam veterum nulli Veninius hercle
Dignus mirifico me beat eloquio
Attonitum sensus omnes; tantae ille profundit
Doctrinae e sacro pectore divitias;
Ubertim rivo quas multiplici exundantes
Excipit effusi pendula vis populi;
Quôque mage effundunt se se, nova copia major
Suppetit, ac diti profluit ex animo,
Nunquam ostensa prius, nunquam prius auribus hausta,
Se blandè et cupidis sensibus insinuat.
Non mî adeo obtusum pectus ferus Adria, durum
Non adeo ingenium mi dedit Illyria,
Hunc modice ut mirer. Proh quae in miracula se se
Vertit! quas formas accipit, ac species!
Omnes ille vices, atque omnes callidus artes
Et scit, et arbitrio versat, agitque suo:
Nunc rapido tonat ore, alto de vertice montis
Raucisono torrens murmure praecipitans
Inter saxa videtur, et hac trahere undique, et illac
Cum stabulis pecudes, cumque satis nemora.
Nunc placidè loquitur; leni velut agmina Ganges,
Ganges extremis finibus adveniens
Aethiopum, Aegyptumque humectans flumine Nilus

Labitur, ac placido gurgite sternit aquas.
Quid cum idem exultans lascivit? ceu vitreus fons
Nativâ rupis prosilit e latebrâ
Suave sonans, pronoque volutus vertice praebet
Solamen gelidos dulce sitis latices;
Inclosus Domini aridulo vel divitis horto
Florum aestu in medio germina hiulca rigat,
Puniceamque rosam, violasque, et mollem hyacinthum,
Nympharumque decus lilia Hamadryadum.
Quid dicam, ut Thuscae purissima lumina linguae,
Omnigenisque lepor mirus inest numeris?
Quid dicam, ut cunctis sua lecta vocabula rebus,
Grandia magnificis, tenuia et exiguis;
Quaeque suo ut fulgent aptè perfusa colore,
Quaeque ut nativo lumine amicta placent?
At quamquam eloquium formas ita verset in omnes
Judicio, et linguae fraena diserta regat,
Effundensque, premensque; tamen non his ego rebus
Jam capior, quam quod corda hominum penita,
Naturamque omnem, latebrasque, atque intima sensa,
Vestigatque, acri et discutit ingenio.
Nam purâ ceu crystallo, ceu laevi orichalco,
Lucis ubi aureolos accipiunt radios,
Omnia tam clarè ante oculos rutilantia cerno,
Condita quae in coeca me latuere anima.
Tum me contemplor totum, partesque peractae
Dum vitae, morumque, et studii omnivoli

Luminibus fero me tacitis, dumque omnia lustro,
Mi rubet interdum conscius ore pudor,
Interdum pavor insinuans mî concutit ossa,
Excitaeque fluunt lacrymulae ex oculis,
Mille simul motus, mille omnia perpendentem
Curaeque, atque aestus anxiferi exagitant;
Quos varios inter fluctus, animique tumultus
Huc illuc dum mens anxia distrahitur,
Dux idem subito, atque idem solator amicam
Ardenti praefert lumine mî faculam,
Invitatque sequi, quà virtutum chorus omnis
Mi praeit, et certam monstrat ad astra viam.
Ceu fortè in nigro deprehensis turbine nautis,
Cum venti miscent praelia in oceano,
Adversasque cient adverso flamine moles,
Et jactata imis aestuat unda vadis,
Si zephyrus roseis adspirat lenior alis,
Pulso longè Austro, Caucaseo et Borea,
Sternunt se freta lata, micat sol aureus axe,
Et patriae apparent littora cara procul.
Salve, o Venini, sacrum decus Oratorum,
O salve princeps Ausonii eloquii,
Eloquii, cui pura Fides, cui candida plaudit
Relligio, et Virtutum omnium amanda cohors;
Plaudit et Italiae flos omnis, plaudit et ipsa
Roma, novo ac plausu Tybridis unda sonat.
Cui nempe et nostrae cum Musae intexere sertum

Frondis Hyanteae munere discuperent,
Ah temere, ah frustra incoeptum liquere laborem,
Nec visa est tanto digna corolla Viro.
En tibi pollicitum, Marotti, carmen: at audax
Tu cave me posthac talia dona roges,
Ne mea Calliope frustra conata rubentes
Ingenuo tingat saepe rubore genas.

ELEGIA XVIII.

Ad Josephum Baronem Spergesium
de Latina versione Hesiodi.

Hellada jam linquens, Romano indutus amictu
Nympharum ille ingens cura Heliconiadum,
Cui niveos quondam pascenti in collibus agnos
E viridi lauro serta tulere Deae,
Labraquae Hyantaei sparserunt fluminis hausto,
Ut liquido flueret dulcis ab ore sonus,
Antiquumque chaos, magnorum et numina Divûm
Diceret, et veterum secula Terrigenûm,
En tibi se vates, Spergesi candide, sistit
Ipsarum missus Pieridum monitu.
Namque ego laurigero Musas in monte petivi,
Pro officiis aliquod munus ut innumeris
Mi placidae annuerent, quo tu laetatus adepto

Laudares memoris pignus amicitiae.
Diis placuit mens grata: haud irrita vota fuere,
Orantem at fidis auribus audierunt,
Ascraeique senis jusserunt carmina divae
Graja per Ausonios ferre novata choros,
Justitiam queis ipse docet, morumque pudorem,
Quantaque proveniunt parta labore bona,
Sidere quo melius pingues invertere glebas,
Seminaque inverso tradere sparsa solo:
Quo freta non metuit cupidus mercator adire,
Ac vehere externo littore divitias
Pacis opus, magnos vitae mortalis in usus
Concessum a sancto numine Coelicolûm,
Ipse etiam Clypei referet mirabile textum,
Quod tenuit virtus Amphitryoniadae,
Quum nemore in sacro Phoebi Pegasaea per arva
Cycnum alto stravit vulnere Martigenam.
Tu dextram nunc tende seni, firmaque coactum
Te coram insueto fundere verba sono,
Illa vetus clarat Latiae quem gloria linguae
Aurea, Julaeis aemula temporibus,
Pura tibi quae sponte fluit: ceu rivus ad ipsum
Quum fontem illimi prosilit e scatebra,
Pellucetque vitro similis, nitidoque electro
Formosis clarum Naiasin in speculum.
An miserum ejicies, mutato gutturis usu
Si male quod verbum dixerit asperius,

Nil patiens perferre, tuis nisi sensibus aptum?
    Atqui nec talem fama mihi retulit,
Nec te ego sum toties expertus: quin mage leni
    Quemnam finxerunt ingenio Charites,
Et mage certantem sibi lectos jungere amicos,
    Servare et junctos omnibus illecebrìs?
Tu mihi magnanimae reserasti limina Matris
    Nullis florenti laudibus, aut meritis;
Tu dignum Augustae fecisti munere dextrae,
    Quum primum nostro nomine Maeonidem
Illi afferre ausus de me es bene multa loquutus,
    Queis spes affulsit certa patrocinii
Nec sterilis, nec parva: a te sunt omnia primo
    Commoda, sunt nobis omnia nata bona,
Et venient majora, animum ni lusit Apollo
    Saepe mihi de te grandia pollicitus.
Quamquam ego quid cupiam majus? non divitis auri
    Me sitis, aut agitans excitat ambitio:
Talia, quos ridens tollit fortuna, sequantur;
    Non ego, qui didici parcus amare modum,
Virtutique magis, caecae quam fidere Divae,
    Quae levis assiduas versat agitque vices.
Mi sat erit, liceat siquando carmine digno
    Ingens Austriadûm tollere ad astra Decus,
Matris et Augustae magnum vulgare per orbem
    Largificum et nullis casibus edomitum
Illum animum, latè quo splendet, ut aetherius sol

Spicula virtutis clara procul jaciens
Omnigenae, oceani trans vasti littora ad usque
Terrarum extremos parte ab utraque polos.
Caesaris huic magni certabo adjungere nomen,
Cujus facta olim ferre per ora Virûm,
Seu pacem, seu bella gerat, fama ipsa negabit
Lassato alarum posse ministerio;
Atque alias centum linguas, alia ora reposcet,
Voto queis valeat fida satisfacere.
Addam illi socium, cui nuper ab aethere lapsa
Relligio sacro vinxit honore caput,
Imperiumque dedit duplex, quo sceptra potenti
Justitia, ac Divûm credita templa regat
Idem regnator populorum, idemque sacerdos,
Idem Teutonicorum inclyta fama equitum.
Addam alios fratres, quorum jam munere tellus
Itala cum magno foenore laeta videt
Surgere Atestinos, et Mediceos Heroas
Caesareis mixtos sanguine connubiis.
Danubium ad vestrum rumor feret aurea latè
Tempora Saturni nostra per arva patris
Fulgere, et Insubrum campis florescere Athenas
Omnibus eximias artibus, et studiis.
Gaudebit tuus ille Heros Chaunitius, Atlas
Qui catus Austriacum sustinet Imperium;
Tuque idem gaudebis, amor quem Palladis almae
Cultorem doctis coetibus adnumerat,

Quemque Italae commissa rei tam cura fatigat
Usque nova ingeniis addere subsidia.
Jamque omnes, duce tanto, agitat vigor, omnibus urit
Gloria honoratis corda cupidinibus
Ex humili tellure alto consurgere coelo
Laude aliqua, ut de se fama loquatur anus.
Hoc etiam, quod prodit opus nunc cumque pusillum
Sit licet, et foeda barbarie horridulum,
Auspiciis hoc nempe tuis, et nomine tutum
Num metuat doctos tendere per populos?
Non, ita me servent Musae, timet. Ergo age segnem
Rumpe moram, i fidens culta per ora, liber:
Nam tibi si laudem Spergesius annuat ullam,
Sic quoque mutatâ veste legere diu.
Annuet: Illum autem quem tu, bone, cumque probaris,
Et Charites Vatem, Castalidesque probant.
Sic tibi et Hesiodus vivet donatus, et unâ
Vives, Spergesi, cultus honore mihi;
Nullaque me seclis obliviscentibus aetas,
Spero equidem, ingrata mente fuisse feret.

ELEGIA XIX.

Ad Eumdem.

De morte Imperatricis Mariae Theresiae.

Haec tibi, Spergesi, dum Grajûm dona parabam,
Optatumque tuum ferre per ora decus,
Heu quantus trepido fundit se luctus ab Istro,
Omnia quo latè personuere loca,
Singultusque inter vox haec sonat omnibus una:
O faciles nobis demite Coelicolae,
Demite vos vitam nobis, at reddite matrem,
Reddite Caesareis dulce decus laribus,
Reddite solamenque inopum, columenque senectae,
Jucundum cunctis reddite praesidium.
Irrita sed fuerunt populorum vota, nec ullas
Audivere polo Numina magna preces.
Occidit heu meritis, et famâ maxima Regum,
Occidit a patriis edita Caesaribus
Austrias illa potens pietate, et grandibus orsis,
Quidquid virtutum, quidquid honoris erat,
Una in se capiens; quâ nil spectabat Olympo,
Seu ferret Phoebus, sive referret equos,
Majus ad occasum roseo sublimis ab ortu
Per varia omnigenûm dissita regna virûm.
Flerunt Sequanicae sedes, et Tescheniae arces,

Flevit Parma dolens, moestaque Parthenope
Et natas doluere suas, quas plaudere matri
Cernebant, contra ferre modo inferias,
Atratas, tremulisque ululatibus externatas,
Ac sparsas largis fletibus ora vident.
Heu genus, heu benefacta! hanc tu mors invida terris,
Quae fuit aeternum vivere digna, rapis?
Nec puduit laesisse sacrum caput? heu quot in uno
Funere crudelis Persephone eripuit!
Eripuit certè multos, illa omnibus aequam
Quum matrem populis barbara surripuit.
Quid mihi cum lauro? laurum jam ponit et ipse
Caesar, cumque piis fratribus imbre madet.
Et suaves cantus, et fila sonantia, Musae,
Indicia et laeti mittite nunc animi;
Solvite taeniolas, ac tristi tempora fronde
Cingite, dum tantas flemus ad exequias.
Lux fugiat, lux ipsa polo tenebrosa minetur
Exitium, ac terras umbra maligna tegat,
Si jura ingratae rapiunt jam ferrea mortis,
Quae secli longùm spes melioris erat,
Cedentem a nobis. Cessit, devictaque morbo
Marmoreo posuit frigida membra toro
Regnatrix populorum ingens, quos ipsa beatos
Fecerat aequatis legibus imperitans;
Nec terrore ullo, sed dulci Matris amore
Cunctorum in se animos verterat, atque oculos

Aurea per terras spargens latè undique jura.
Quid faciles aditus, mollia quid memorem
Pectora, et assuetos precibus mitescere sensus,
Sparsaque largifica munera magna manu?
Scilicet id propter solita est gaudere, quod esset
In magno reliquis ditior imperio,
Divitiis largè ut multos attollere quiret,
Et duram a miseris pellere pauperiem
Non sibi, sed populis dives: velut igneus ardor
Solis, ab immensa lampade qui radios,
Qua se cumque undis tollunt fluitantibus arva,
Fundit, et irriguo promovet igne sata
Insinuans frugum genus omne, et mollibus auris
Semina permixtus viva tumefaciens,
Testes Vindelicique, et curvo Pannones ense,
Atque Bohemorum moenia magnanimûm;
Testes et Belgae, Dacique, et fida Liburnûm
Littora, et Insubri gens opulenta soli,
Ah! quoties dextram magnae sensere parentis
Nullis parcentem sumptibus, atque opibus,
Si quando aut bellum populos exciret ad arma,
Aut fallax Cereris dona negaret ager;
Non doluit quisquam, quin illius acta dolore
Ipsa pio teneras spargeret imbre genas;
Nec quisquam optata votorum est sorte potitus,
Gaudia materno pectore quin caperet,
Adversaeque comes fortunae unàque faventis

Assuerat prae se ferre vices populi.
Haec mage Maeonidae cantu, quam fortis Achilles,
Digna haec Aeneae sunt pietate prius.
Felix, o nimium felix, quam vincere nulla
Fraus valuit tanto in culmine compositam,
Transversamve egit sceptra inter gemmea fastus
A recto diae tramite justitiae,
Quam sibi proposuit comitem, qua praemia, et ipsis
Sueta dare est poenas provida criminibus.
Illa quidem magnas inter numerabitur usque
Heroinas, quot secla tulere; sed ô
Vindobona infelix, quo nunc tua gloria cessit,
Quam dominae in vita dulcis alebat amor?
Moesta jaces, tristi perculsa a turbine luctus,
Ceu qui fulmineo tactus ab igne stupet.
Quid tamen et quereris? mortali an semine quidquam
Progenitum dirum fugerit interitum?
An virtus non astra petat? sunt praemia caelo,
Virtuti haud tellus apta sat ista fuit.
Sceptra diu gessit mortalia, contulit arma,
Stravit et adversos Marte fremente Duces;
Utque minae cessere, Aquilas victricia signa
In tacita jussit degere clausa domo,
Obruta nec misera, nec sorte elata secunda
Vinceret, aut contra cederet impavida.
Ingeniis patefecit iter, promovit et artes,
Excoluit magni templa verenda Dei,

Imperii fines provexit, et aurea mundum
Quae teneant, mater germina multa dedit;
Virtutisque viam sua per vestigia vidit
Carpere non usquam deficiente pede.
Vidit, et ingenuos, duce se, florescere mores,
Tartareum pulsis in barathrum vitiis,
Et latè gentes optata in pace reliquit
Caraque longiquis caraque finitimis.
Ergo abiit matura polo, subvectaque caeli
Vertice sidereas visere gaudet opes,
Quas nec bella agitant discordibus impia telis,
Nec fraudum, aut scelerum turbat acerba cohors;
Sed stabiles sine fine manent, lucisque beatae
Usque novo affusae flumine dulce vigent.
Illic plena Deo, caelestique addita coetu
Potat inextinctae gaudia laetitiae;
Nomen at in terris venienti clarius aevo
Florescet famâ nil metuente mori;
Quin etiam ante alios in magno Caesare vivet
Cui spes, cui tota est nostra relicta salus.

ELEGIA XX.

Ad Andream Rubbium
de Poemate suo quod inscribitur Echo.

Quod sum ausus numquam cupere, et quae maxima dona
Nimphae Heliconiades mî potuere dare,
Jam cepi: tibi quum videam, suavissime Rubbi,
Non modo non Musas displicuisse meas,
Verum et laudari, et ferri a te carmine ad astra;
Carmine, quod valeat demere Battiadae,
Demere Mimnerno, aut Coo data serta Philetae,
Ipsis ni certet Calliopes numeris.
Nam melius quid erat, quam te cognoscere, teque
Quamquam absente, tamen posse frui, Aonidum
O flos, doctrinae certè et florentis ocelle?
Cui dedit omnigenas optima Pallas opes,
Quas habet et Latium, quas et Achaia, quasque
Gallica lingua, Tagi potor et auriferi,
Hispanique, Britannique, et Charitum Domus alma,
Hinc septa atque isthinc fluctibus Italia.
Felix! cui tantum licuit, cui tantam animi vim
Diva dedit. Non te fama diu tacitum
Esse sinet: sed vecta altum super aethera pennis,
Qui sis, Eois dicet, et Hesperiis,
Adriacos ultra fines, ultra Itala regna.
O ego tum quales laetitias animi

Deliciasque, jocosque, et dulcia gaudia sensu
Laetifico peniti pectoris experiar
Laude tua, ut nostra, adfectus! Mecum Aonis Hecho
Plaudet, et ad numeros garrula prosiliet,
Qua se cumque tegit sub rupe. Anne illa silebit
Ingrata, istius nec memor officii,
Accidere optandum quivit quo non mage quodquam,
Coerula quo caeli templa supervehitur?
Scilicet Illa sibi miserè metuebat, Ilerdae,
Aut Capuae in vicos ne iret odoriferos,
Annalesque inter Volusi damnata, et olens thus,
Et piper, et si quid foedius integeret,
In lucem simul ac prodisset subdita praelo
Horridula, ac nullis perlita luminibus;
Sors merito est illis quae debita Vatibus, ore
Queis tristi infaustum sternuit omen avis.
Quid tum Stayades, quid tum Cunichius ipsam,
Quid Boscovichî, quidve juvare queat
Rhacusa illa, effers quam laudibus? inter olores
Nempe etiam cornix saepius exoritur,
Pomaque degenerant sub eodem consita caelo,
Nec succo matrem nec referunt facie.
Atqui omnes longè hos zephyri levis aura timores
A pavida in nubes dispulit aërias,
Ex quo laeta tibi se se placuisse, suumque
Dignum aliquo auctorem laudis honore videt.
Quin etiam stimulis me me non mollibus urit

Ingenii exagitans improbula igniculos,
Rursus ut Aoniae subeam nemora Hippocrenes,
Antraque volgivago non adeunda pede,
Jamque nimis facilem vicit: canimusque, per auras
Num valeat, liquidi per freta ceu pelagi,
Nare levis remisque, et vento concita puppis
Atlantem supra, Caucaseam et Rhodopen
Aemula pennigerûm seclis. Nova conditur Argo,
Lanaque mi Tiphys jam novus alter adest;
Uranie dux pandit iter: nec vellera Phryxi
Aurea lucidulis pendula ab arboribus,
Sed petitur nullâ non fama aetate perennis:
Qualem e Gnossiacis flexibus effugiens
Aërium per iter retulit jam Daedalus. An quid,
Icare, me terres? non mihi non animus
Ardentis jubar ad Phoebi contendere vela;
Altior incedat flammeus ille polo.
Interea officio pro tali reddere grates
Quum nostrae haud opis est, dulcis Amice, (licet,
Spero equidem, jam nunc uti nam nomine Amici)
Debebo aeternum, et, quas potero, referam.
Si vero acceptumque magis, gratumque quid esse
Mi cupies, crebro mittere ne renuas,
Nempe ipsum sal, et veneres, tua carmina, quorum
Concentum arrectis auribus excipiant
Lauricomis Parnassi e sedibus assurgentes
Cum Phoebo, Rubbi candide, Pierides.

ELEGIA XXI.

Ad Raymundum Cunichium
de poemate suo Navis Aeria *inscripto*.

Vocalem Aonio celebratam carmine Nympham,
Quae prius (1) arbitrio supposuere tuo,
En aliud, Raymunde, ferunt opus ex Helicone
Adcitae nostro nomine Pierides
Indictumque, novumque. Nova, ac indicta placere
Quippe puto vacuas missa per auriculas,
Praesertim si naturae e penetralibus ipsis
Eruta Apollinea luce nitere queant,
Musaei ac veluti mellis contacta liquore
Lectorum captos blanda tenere animos,
Patritium in primis, qui me complexus amore
Meque, measque bonus respicit Aonidas.
Altius est terris mi nunc iter: altius egit
Bellerophonteis artibus edomitus
Ales equus Pindi audentem trans et juga celsa,
Trans et Parnassi laurigeri nemora
Ventorum in sedes: terras unde arduus omnes
Subjectas prono lumine despiciam
Ipse regens celeri volitantem flamine currum,
Per liquidum ipse notans aëra primus iter.

---

(1) Eidem et aliam scripsit Elegiam Auctor, quae in illo extat libello, cui *Echo* nomen.

Nec Myniis adeo metuam contendere, nec me
Cretaeus multo vincet honore faber:
Quamquam illi intactae primi rabiem amphitrites
Pacarint nemoris Peliaci trabibus;
Ille autem aligeras volucres imitatus ad arcem
Incolumis tandem venerit Euboicam,
Incolumis, non et felix: tuus, Icare, casus
Heu misero patri gaudia subripuit!
Cujus ut innantes plumas despexit in undis,
Aeternum optavit pendere supplicium,
Hospite quod crebro flentem pro flavo Ariadnam
Adjuvit contra Pasiphaes sobolem.
O puer, o patri luctus, quid mî tua saepe
Fata refers? animus non mihi tabificum
Ardentis jubar ad Phoebi contendere vela:
Altior incedat flammeus ille polo.
Nil mihi cum volucrum pennis: nova Palladis Argo
Surgit in aëriis arte regenda plagis;
Tiphys et alter ego florentis robora pubis
Ducam lascivis carbasa dans zephyris.
Ecce mihi Uranie puppi comes adsidet, ecce
Ad mea Hyanteas vota vocat socias,
Cui faveant Musae, violenti Strymonis undas
Fraenat, et umbrosam voce movet Rhodopen,
Thebanasque novis circumdat moenibus arces,
Et fertur magno sospes in Ionio.
Si velit; et suavi potis ille extinguere cantu

Ipsius irati flammea tela Jovis,
Et potis auratos nexus diffringere, mundi
Tollere queis juret moenia cum superis.
Nam simul ac sacro vox edita vatis ab ore
Illius se in cor detulit insinuans,
Subsiduntque irae, totaque in fronte renidet
Dulcis pax almae filia laetitiae:
Ipsius et sceptro super illa avium Regina
Hinc atque hinc laxans parte ab utraque leve
Remigium alarum, postquam est adfusa soporis
Nubes lenito nigra supercilio,
Suave oculis claustrum, somnos placidè levis efflat,
Atque efflans dorsum subrigit avidulum.
Gaudet quin etiam cantu Mars caede cruentus
Hastarum oblitus tunc et equûm et clypeûm,
Altaque Dii quotquot caelestia templa frequentant,
Et ducunt haustus ambrosios cyathis.
Jupiter at quoscumque odit male per vaga ponti
Aut freta, terrarum vasta per aut spatia,
Pieriae illecebras oderunt vocis et acer
Coeus, et Iapetus sub styge, et Enceladus,
Quique olim eductus Cilicum sub rupe Typhoeus,
Nunc Cumis, nunc et littoribus Sicalis
Subpostus graviter premitur. Sua pectora setis
Hispida caelesti mole gravat cohibens
Aetna pruinosae semper nivis horrida nutrix.
Quae dum sol rutilat clarus in axe, sinu

E rabido picea fundit caligine nubem:
Mox idem quum se Tethyi restituit,
Purpureum ejectans ignem flammantia volvit
Terrifico rapidum saxa sono in pelagus.
Ardet inextincto volcania gurgite sedes,
Aestuat horrendis ignea verticibus,
Spetaclum infelix, mirum: seu viderit ullus,
Seu narrantem etiam fors alium audierit,
Subter ea ut jaceat vinctus, duroque cubili
Ille miser curvatum adterat usque latus.
O mihi sit placuisse Jovique, et Caelitibus Dîs,
Quos et flos cantus, flos juvat et citharae:
Ingemat Aetnaea frustra sub rupe Typhoeus:
Non mi etenim Scythico corda rigent chalybe,
Saeva nec admovit mî nutrix ubera tygris,
Non Syrtis, non me Scylla vorax genuit.
Cantum amo, Musarumque choros: me me bona vidit
Nascentem haud laevo lumine Calliope.
Nam velut aërio sublucens tramite nubes
Aut vento, aut radiis percita Apollineis,
Jam gravior justo paullatim liquitur uda,
Et vapor irriguam solvitur in pluviam;
Quam subter, casu postquam celeri delapsa est,
Excipit aridulo terra inhians gremio,
Suave croco, aut molli violae, calthisve levamen,
Quum ferus arentes Syrius urit agros.
Sic ipse audito almo Heliconiadum concentu

Protinus in suavem laetitiam solüor;
Quae penitos dum per sensus dulcissima serpens
Imis fibrarum se insinuat latebris,
Non est me risu aut gaudens nata illa Dione
Laetior, aut si quid laetius est Venere.
Quod bene quum noscas, quumque haec mihi parta voluptas
Non sine te (quid enim te sine profuerit
Insita naturae vis non exculta per artem?)
Dic age, te pudeat num, Raymunde, mei?
An potius videar te dignus? ubi adnuis ipse,
Adnuet et Pindo Phoebus ab Aonio;
Ac duce sub tanto tendentem vela per auras
Non Hyades, non me terreat Oarion.

ELEGIA XXII.

Ad Raymundum Cunichium suum olim Magistrum.

Qui cuncta ingenio Naturae arcana sagaci
Scrutari, et doctis prodere carminibus
Primores egit vatum, praestantia coetus
Palladii, et coetus lumina Apollinei;
Idem, quando imos summis adjungere gaudet,
Urereque admotis cuncta solet facnlis,

Idem laudis amor me me, Raymunde, coëgit
 Errantem in Pindi vertice laurigero
Venari, captamque istuc tibi mittere nostram,
 Quamquam erat agrestis, quamquam erat horridula,
Nescio quam solis latitantem in rupibus Echo.
 Quamquam erat: haud etenim jam reor horridulam
Esse, nec agrestem nimium, quippe ipse lepore
 Quo potui, quem mi Phoebus habere dedit,
Omni illam cultu ornavi: ceu sedula mater,
 Cui matura viro jam sedet unigena
Nata domi, quacumque potest juvat arte, venusta
 Ut magis, et cupidis grata sit illa procis:
Jamque hoc jamque illo contextam flore corollam,
 Ipsa suo secum multa movens animo
Crinibus aureolis nunc addit, nunc eadem se
 Culpat, et in propria dote nitere sinit;
Huic nihil, aut paullum cessit mea cura; peperci
 Ulli nec studio, quo magis atque magis
Per te illa in lucem prodire venustula quiret,
 Et procul Eoos, et petere Hesperios,
Saevaque mordacis convicia spernere vulgi
 Felix, judicio satque probata tuo;
Auspice quo nostrae primum crevere Camoenae,
 Ac sibi fors aliquod promeruere decus.
Nam neque me laurus, nec Pieria Hippocrene,
 Non Musae, ac soboles Gorgonos ales equus
Aut quidquam juvere, juvare aut denique possent,

Ni mihi tute fores duxque comesque viae
Aonas in montes. Tua per vestigia durum
Conabar tremulis vincere iter pedibus
Paullatim adrepens ad Hyanteum Parnassum,
Antraque Nympharum garrula carminibus.
O antra! o Helicon! o flumina sancta! quis inter
Musarum sistat me cupidum thyasos?
Lauro quis frontem cingat Parnasside? vos o
Hunc per ego, Musae, deprecor, hunc comitem,
Qui lateri adsistit, quo non mihi carior alter,
Quo nusquam vobis alter amabilior,
Accipite ingressum me vestrae in limina sedis,
Et mihi Castalia cingite fronde comas.
Nec tamen ipse ausim deposcere praemia, quae jam
Iris, et algentis visa sub axe poli
Vati Aurora suo (1) retulit; vel quae dabit illi (2).
Calliope, Hesperidum qui nemora et sylüas
Felices citro sylvas nemora aurea cantat
Arni dilectus Najasin, ac Tiberis (3):
Non itidem quae digna manent te dona, Lucreti
Cui furor, et dulces Virgilii veneres,
Et bona, quae magnis dat sparsim rara poëtis

---

(1) Carolus Nocetius S. J. vulgavit duo praeclara poëmata, alterum de *Iride*, alterum de *Aurora Boreali*.

(2) Antonius Ambrosius S. J. habet in manibus poëma perquam elegans *de cultu citrorum*.

(3) Josephus Mazzolarius S. J. propediem editurus est in lucem poëma sane luculentum *de vi electrica*.

Phoebus, cuncta tibi sunt data; uti doceas
Fulguraque excitosque ignes strepitumque ictusque,
Et si quae prodit mira alia atque alia
Nomen ab electro clarum quae machina duxit.
Te septemgemino vertice Roma probat,
Ac veterem eloquii sibi fors promittit honorem,
Qualem olim Augusto sceptra tenente habuit.
Salvete o vates, vatum decus! o mihi mollem
Reddite vos Phoebum, vos facite Aonides
Me quoque respiciant vestigia nota sequentem
Illius, qui me me instituit in nemora
Ducere florentis Pindi. Atqui fausta dedere
Signa deae: primus jam labor haud cecidit
Irritus. En nostris plaudit conatibus Echo
Educta e latebris lumen in Aonium.
Ah quid agis? plausus non hic mihi debitus, ista
Non mihi, verum illi laus tribuenda Viro,
Cujus ego auspiciis quidquid nunc carmine possum,
Vel potui, posthac vel potero, tribuam.
Omnia enim, Raymunde, tua; a te cuncta profecta,
Ad te unum pariter cuncta opus ut redeant.
Si qua mihi hinc veniet, non est mea, gloria tota
Illa tua est, illam, si veniet, referam,
Qualis qui rarae per curva foramina terrae
Perque sinus caecos humor ab oceano
Insinuat sese, paullatim et factus aquae fons
Muscoso rupis prosilit e silice,

Atque aliis per iter. lymphis augetur, et amnis
Magnus alit magno flumine Naïadas;
Multas ille licet per gentes, multa per arva
Actus multiplici errore viae properet,
Rursus ad oceanum declivi gurgite fertur,
Et magno acceptas foenore reddit aquas.
Tu modo ne spernas: utinam natura dedisset
Mi vires; tardus non ego te sequerer
Avia lustrantem Pindi juga; nec tibi certe
Dedecori haec umquam nostra Thalia foret:
Parva sed ingenti patris se conderet umbra;
Parva sub ingenti, non tamen illa minus
Et culta et florens; quamvis tu carmina condis,
Concita queis iterum saxa coire queant
Thebarum in muros, stupefactaque flumina cursum
Sistere, et auritis frondibus annuere
Per Rhodopen sylvae reptantes, per gelidum Hemum,
Leniri ac virides Eumenidum colubrae.
Testes Parrhasiae nutantes vertice lauri,
Dum Latia cantas Arcas in Arcadia.
Cur tamen (heu raptum Musis decus!) haec premis atra
Sic male nocte? nigris cur tegis in latebris
Abdita, nec luci donas? sperabat Homerus,
Dum comes it magno Virgilio Elysias
Per valles, Latia per te procedere palla
Junctum Anchisiadi Dardanio Æacidem
Visurum, et Laërtiaden, tibi serta parabant

Pulchraque Briseis, fidaque Penelope;
Spectabatque alto gaudens te Pallas Olympo,
Ac Thetis in flavum Tibrin agebat equos:
At nunc moerentesque dolent, frustrataque per te
Vota timent, Latiumque utraque diva fugit.
Dii meliora! abiit nondum spes; quin mage crescit.
En exoratus jam mihi Pegasidum
Munera, jam Charitum spondes, queis tuta sit Echo,
Vivere et innumeras possit Olympiadas.
Gaude, Echo, o Siculi lusus gaudete poëtae,
Palladia et Graji carmina Battiadae:
Ingens partus honor vobis, multa addita formae
Gratia; jam nusquam est, si quod erat, vitium.
Gaudia cur differs, pater optime? prodeat Echo;
Prodeat at Musis facta beata tuis.

BERNARDI ZAMAGNAE

EPIGRAMMATUM LIBER.

IN MORTE

RAYMUNDI CUNICHII Rhacusini.

Multos post fletus, multa et post signa doloris
Musarum haec etiam dona, Magister, habe,
Tarda olim seclis ne me venientibus aetas
Ingratum vocet, aut arguat immemorem:
Quod sum etenim, quod eroque, tuum esse fatebor,
et usque,
Qualiscumque meo vox fluat ore, tua est.

De eodem.

Heu! heu! nullius te pulchrae ah! laudis egentem
Invida mors tristi funere corripuit,
Ne foret aut suaves elegos qui pangeret, aut qui
Scriberet altisono proxima Maeonidae?
At tu, donec erunt Grajae, Latiaeque Camoenae,
Usque mage interitus victor, et invidiae

Floresces, Raymunde, o cunctas note per urbes,
Quas alit omnigenûm dulcis amor Charitum.
Jamque vale, et felix vel mortis crimine gaude:
Ipse autem contra semper, Amice, querar,
Atque tui desiderio perculsus acerbo
Deflebo hoc semper flebile dissidium,
Quod non ulla dies poterit, non ulla levare
Cura alia: in nostro est tanta dolore fides.

De eodem.

Talis eras vitâ, Raymunde, et moribus, ut qui
Te aspiceret, toto pectore diligeret.
Talis eras musâ, numerisque sonantibus, ut qui
Nosceret, attonito pectore suspiceret.

De eodem.

Supremo ut vidit positum te funere, moesta
Hinc Roma, hinc passo crine Rhacusa stetit.
Illa suae pubis doctorem flebat, et illa
Natum, quo nullus carmine major erat.
At Pietas delapsa polo: procul omnis abesto
Tristis ab hoc sancto funere luctus, ait.
Non lacrymis sors est Raymundi digna, sed omni
Laetitia; in caelis Numine plenus ovat.

De eodem.

Ergo meus silet ille comes Raymundus, et una
Aoniae in Pindo conticuere Deae?
Heu! heu! quis Martem posthac, et robur Achillis,
Quis teneros Charitum dicet, ut ille, jocos?
Non ego, non alius tentet: sibi cepit Apollo,
Quam dederat soli tangere posse, lyram;
Et laurum invidit; quam sacrâ in rupe locavit
Inter hyantei praemia summa chori.

De eodem.

Simplicitas tibi prisca, fides et nescia frangi,
Et pudor, et fuerat lingua inimica doli;
Doctrinae atque una omnimodae, suadaeque medulla,
Sanctarumque merae deliciae Aonidum.
Et miror, quod te vivum sic Roma colebat,
Quod, Raymunde, eadem sic gemit exanimum?

De eodem.

In mutos abiit cineres Raymundus; at aevum
In longum vivet spiritus Iliados,
Quam studii patiens Latio dedit, haustaque vivent
Atque alia e Grajis fontibus, atque alia;
Praetereaque suae monumenta tot aurea mentis,
Quae legere, Augusto principe, Roma velit.

De eodem.

Virgilio certare ausus, certare Catullo,
Sub gelido hoc recubat marmore Cunichius,
Serta jacent temere projecta; olor adsidet albus
Desuper, et bustum laurus opaca tegit.

De eodem.

Extinctum ut nuper sensit Romana Poësis
Cunichium; reliquum quod charitis fuerat,
Et priscae veneris, qua quondam ususque Catullus,
Atque Maro, id totum mì miserae heu periit!
Dixit; et auditi vatum gemere undique manes,
Et moestae patrio Tibride Naïades.

De eodem.

Hanc laurum, et citharae resonantis fila, dedisti
Quae mihi tu quondam, dulcis amice, sacra,
Hoc reddo apposita in tumulo; nam quid mihi laurus,
Quid sine te citharae prosit inane decus?
Aut animam, linguamque tuam concede disertam,
Aut tua tecum una munera quaeque cape.

De eodem.

Albius ad tumulum residens, unàque Catullus,
Cumque ipsis medius flet tua fata Maro.
Laurus opacat humum subter, Raymunde, virentem
Quam tuus heu lacrymis usque Zamagna rigat.
Vives, laure, meo vives humore; sed ipse
Quo pia te virtus sustulit, astra premis.

In Funere *Rogerii Boscovichii Rhac.* *quem publice in concione laudaverat.*

Haec tibi ego, Rogeri, ingrato in funere solvi,
Ne foret heu! nostrae mutus amicitiae
Longa aetate dolor. Sed laudes non ego possim,
Non alius quivis aequiparare tuas;
Qui quantum omnigeno doctrinae lumine praestas,
Tantum omne ingenium vincis, et eloquium.

De eodem.

Parvam te dicunt, vilemque, Epidaure; nec esse
Inficior te parvam ipse, sed esse nego
Et vilem: quantumvis immo sis mage parva,
Te merito regnis omnibus antefero:
Quì potis hoc, dices? illius Patria nonne es,
Cui non ulla parem regna tulere Virum,
Nulla ferent? homines idcirco quam anteit omnes
Rogerius, tam regna omnia tute supra es.

In Obitu *Aloysii Spagnoletti Archiepiscopi Rhac.* *Ord. Min. Obs.*

Pauperibus ditem, sibi parcum, adque omnia factum
Omnibus, heu! virtus luget Aloysium.

Ad eumdem.

Quam laudum excierat famam privatus, eamdem
Auctus honore auctam protulit ad Superos.

Ad eumdem.

Eloquio suavis, prudens, et doctus amari,
Quam metui dictis; nonne hic Aloysius?

Ad eumdem.

Aequo animo laetos, et casus sprevit acerbos;
Aequo animo vitam vidit, et interitum.

In Obitu *Jun. de Restiis Rhac.*

Occidis, o Resti! Sophiae thesaurus, et omnis
Doctrinae, os vere sacrum Heliconiadum.
Occidis in medio cursu, cum promere nondum
Foetus quîsti omnes divitis ingenii;
Sed quantum hic nobis raptum est, tantum nova crevit
Nunc tua sidereis addita vita choris.

Fortissimi Ducis, gravi vulnere accepto, ultima morientis verba.

En pereo, o Caesar; nec quod mors occupat artus,
Hoc doleo; vixi fortis et innocuus;
Sed doleo, quod jam tibi nec servire, nec esse
Utilis, ut volui, mente manuque queo.
Pro me vive diu, sequere et tua fata: relicta
Filiola in te alium sentiat orba patrem.
Tum Caesar: fide, unâ erimus, dextraque prehensa
Addere vix potuit tristis: Amice, vale.

IN FUNERE PUBLICO

MARIAE ALOYSIOE Imperatricis
Francisci I. Imp. Conjugis.

Conjugis Augusti vidit frondescere laurum,
Inter et insignes fulgere nomen Avos;
Vidit Athestinos, florentia germina, Fratres
Antiquum accitos rursus in imperium;
Ausonias et vidit, ubi orta excultaque, Gentes
Libera ab externo tollere colla jugo,
Attonitumque suis latè virtutibus orbem,
Per quas Maternis laudibus institerat.
Post tot fausta igitur properâ quid morte dolendum,
Tantum cui Superûm defuit alma quies?

De Rosa Femina Rhac. pulcherrima
naufragio mersa.

Vidi ego Corcyrae per nigrae littus Amorem
Errantem, et crebra pectora nuda manu
Plangentem, ac fluctus, vos saevi reddite fluctus,
Clamantem, fuerat, quae mea cura, Rosam
Reddite: sed motis vox edita venit ab undis:
Parce, Amor, aequoreis Dîs quoque cara Rosa est.

De Spartanis ad Thermopylas.

Strata jacet Spartae pubes, non victa: sepulchrum
Thermopylae servant, nomen ubique sonat.

In Funere *Annae Boscovichiae Rogerii Sororis.*

Te quoque sidereum post fratres limen Olympi
Accipit, o meritis Anna beata tuis.
Et nunc illustres animas, quae te ordine longo
Praecessere, videns plena Deo frueris.
O salve, aeternumque vale; memor usque Rhacusa
Rogerii, una te semper in ore feret.

In Funere *Benedicti Stay Rhac.*

Stayades bonus ille obiit, cui dia Poësis,
Cui Sophia aeternum condidit alma decus;
Cartesii manes, et docti magna Britanni,
Quem scita objiciunt vati, Epicure, tuo:
Aurea quem virtus, ac puri ante omnia mores
Vivum etiam in terris Dîs similem dederant.
Luge, Epidaure! annis tibi paucis tertia rapta (1)
Fama est; heu quando secla parem referant!

---

(1) Parvo annorum intërvallo ante illum obierant Rogerius Boscovichius, et Raymundus Cunichius.

Ad Michaelem de Sorgo Rhac. de ejus Raymundi Cunichii Elogio.

Parvus, at aureolus liber est, quem, candide Sorgi,
Scripsti de nostri Cunichii ingenio.
Talis erat, qualem pingis; sic vita sepulto,
Sic verae laudis nunc tibi partus honos.

Ad eumdem qui ex putri fistula inter gingivas erupta id temporis laborabat.

Rauca Philoctetes rumpebat questubus antra
In mediâ diro vulnere stratus humo;
Hunc tamen Heroem celebrarunt carmina (virtus
Sic fuerat Grajis cognita Pierisin!).
Ill mage est Heros, ferro qui sectus, et igne
Ustus nec luget, turpe nec obloquitur,
Sed quidquid pater ille hominum, rectorque malorum
Didit, laetanti pectore ferre valet.
Quid de te, Michaël, dicendum? dura ferentem
Vidimus, haud ullos audiimus gemitus.

Ad eumdem.

Nec tibi Maeonides, Michaël, nec Pieris ipsa
Vim rabidam morbi, crede, levare queant;
Unica sed virtus animi potis aspera rerum
Vincere, quae in magno firma dolore viget;

Ut tua nunc viguit, quum stricto dextera ferro
Dissecuit putres intus adacta genas.
Quod si etiam numeris extingui dulcibus aegror
Posset, tute tibi certa medela fores,
Cui placuit quoties ad cantum inflectere voces,
Omnis hyanteo plausit ab amne chorus.

Ad Antonium Lucae Fil. Sorgium Rhac.

Gallia magna quidem pulchra est, et dives, et armis
Inclyta; non tamen est sola, ubi vita placet.
Illa etiam nudis Ithace tristissima saxis
Dulichio visa est pulchrior illa Deâ.
Ah! patria, Antoni, miros incendit amores,
Si quem non vanis fallit imago bonis.
Ergo hanc serva urbem, quae jam florescere claros
Laeta tuos longo tempore vidit avos;
Quorum si famam, laudesque imitabere, non est,
Cur nostrae Gallos Illyriae anteferas.

Ad Nicolaum Pozzam Sorgium Luciani Filium Rhac.

Nicon, tempus abit, viridisque elabitur aetas,
Et pater, et genitrix moesta nepote caret.
Aspice, praeclarae quot formâ et laude puellae
Assimiles florent Najasin Illyrides;

Harum aliquam (paucae nec erunt, quae vota sequantur)
    Delige; iò clamat tota Hymenaee domus:
Hoc et naturae petit ordo, et Sorgia Pozzae
    Gens juncta hanc cupido spem fovet usque sinu.

Ad eumdem
cum fragas ad poetam mitteret.

O Fraga Alcinoi certantia ditibus hortis,
    Vos ubi felicis protulit uber agri?
Vallis dicta Nucum, Nicetae cura: sapore
    Proin vos eximio vincere avetis herum.
Quippe magis dulci melle est et suavis, et ipsas
    Ingenio ambrosias aequiparat Charites.

In Nuptiis *Nicolai Comitis de Pozza Sorgo,*
et Helenae Ragninae.

Victus es, o Nicon; prior illa superbia cessit,
    Libertasque tuis cara cupidinibus;
Pacta tibi sponsa est: bene sit! pensabit amore
    Eximio, liber quae bona habere putas.
Namque proba, et facilis, doctas et culta per artes
    Condit inexhaustas pectore blanditias,
Queis captus dices: cur non hanc ante petivi,
    Mollia si tantum vincula nectit amor?

Aliud.

Ecce Helenam ducit Nicon meus, et face laetus
Idalia sponsis gaudia portat Hymen.
Auguror: o longae sint vitae tempora fausta,
Primus ut effulsit faustus hic ipse dies!
Semper amor vigeat, semper concordia, et alter
Semper in alterius servet honore fidem.
Dî sobolem, famamque dabunt, et sera nepotum
Posteritas vestrae copia laudis erit.

Ad Georgium Higgiam Med. Phys. Rhac.

Haud satis est, quod labra mihi male pustula mordet,
Avulsum a te etiam me tenet illa domi;
Nec sinit illecebrisque tuis, et mente sagaci,
Romulidûm et puro posse nitore frui:
Mî venus et periit, Graji et periere lepores,
Illita continuo queis tua dicta madent.
Ergo vides, quae damna feram disjunctus, et aeger;
Nil perdis vanum tu nisi, Amice, sonum.

Ad eumdem.

Non modo te putris sub naribus, Higgia, torquet
Pustula, sed tristem me quoque acerba tenet:
Te quia continuo male vellicat aspera morsu,
Me, quia, Amice, tuo distinet alloquio.
Quare aut jam medium tu Phoebo projice munus,
Aut cito te saevo, meque dolore leva.

Ad Lucam Stulli Med. Phys. Rhac.

Stulli docte, mihi ni te sic rerer amicum,
Nulla animum ut valeat figere suspicio,
Irascar porro ipse tibi, quod carmine blando
Suades, pictus uti Persephonen superem.
Non ego sum tanti (novi me), laude nec ullâ
Spectanti possum curam aliquam ingerere;
Sed cedam, jam mitte preces, describere Pictor
Si queat, ante alios quantum amo te, ac facio.

In effigie Illustrium Vir. Rhac.
quae asservantur in Pinacotheca Blasii,
et Lucae Stulli Fr.

Stulliadae gemini fecere hos pingere vultus,
Quos tulit Illyriae docta Rhacusa decus,
Ut stimulis paribus spectantum agitata voluntas
Vincere Palladiâ laude studeret avos.

Sub Effigie Marini Ghetaldi.

Hic Sophiae arcanis, famaque Ghetaldius ille
Inclytus, in quo alium cernis Apollonium.

Sub Effigie Rogerii Boscovichii.

Rogerius, qualem mirata Britannia quondam,
Hic est: Architam quis neget Illyriae?

Sub effigie Benedicti Stay.

Vivit adhuc, vivetque illustrior usque futurus
Lucretî virtus aemula Stayades.

Sub effigie Raymundi Cunichii.

Virgilii comes ille, et docti fama Catulli,
Hic pictus spirat carmina Cunichius.

Aliud.

Hac retulit pictor veros in imagine vultus:
Aurea Cunichii carmina Fama refert.

Aliud.

Quae quondam magno dictavit Musa Maroni,
Hic pictus spirat carmina Cunichius.

Ad Franciscum Mariam Appendini Scholarum Piarum Rerum Rhacusinarum scriptorem.

Appendine, tibi, si quid sapit, urbs mea debet
Multum; sola potest obloqui et invidia.
Non quod non rectè, breviter, verè omnia scripsti,
Sed quod nostrates advena tu superas.

Ad Urbanum Appendinum Scholar. Piarum Philosophiae, et Matheseos Professorem.

Docte, vocas lepidi in partem tu, Urbane, libelli,
Incauto quae mî saepius exciderunt,
Carmina nec studio, nec limae dente polita,
Fallendo tantum nata sed otiolo.
Dispeream, si novi, ut primum emissa per ora,
Quid factum de illis, aut ubi deliteant.
Pars, reor, aut tineis, aut blattis obtulit escam,
Fors et amicorum pars jacet in domibus.

Quae potui reperire tamen, pauca accipe; verum
Ne librum, cavesis, turpia dedecorent.

Ad Thomam Watkinsium Anglum
Ragusii commorantem.

Accipe, Watkinsi, Zamagnae carmina, et inter
Redditus Angligenas sis memor Illyriae,
Quae, quamvis squallet deserta atque horrida, Grajas
Non minus, et Latias suspicit Aonidas;
Teque etiam laudat, quem primo in flore juventae
Omnigenas artes ipsa Minerva docet.

Ad eumdem.

Non tu discedes solus, verum ibimus unâ,
Watkinsi, et quo te, nos quoque ventus aget.
Nam quocumque ibis, te semper nostra sequentur
Vota, nec absistet pectore fidus amor.

Ad Alphonsum Marsilium
Senarum Archiepiscopum.

Quum tua te in nivea fulgentem Sena thiara
Vidit sacratae limen adire domus,
Exiliit, mentemque piâ dulcedine capta,
O pater, o sancti pastor, honorque gregis,
Ingredere, o, dixit, quo te tua plurima virtus,
Quo te jamdudum noster avebat amor;
Ingredere, Alphonse; et si quid mea vota merentur,
Unde haec sit populi vox rata, vive diu.

Ad eumdem.

Et justum, et castum, et multa virtute nitentem
Pontificem Pauli provida mens voluit;
Relligio Alphonsum sed quum pia vidit, an, inquit,
Hunc Paulus voluit pingere Pontificem?

Ad eumdem.

Ut perii aegroto te dudum, Alphonse! revixi
Ut te te audito sospite, et incolumi!
Pro quo fortunas, pro quo vitamque pacisci,
Et si quid vitâ charius, ipse velim.
Vive diu, et fatis felicibus utere semper,
Ut longum in terris haec tua sit probitas;
Quandoquidem non grata magis virtutibus ulla
Omnigenis sedes corde reperta tuo est.

Ad Philippum Marchionem Ghislerium.

Quondam Orpheus Thracas fertur lenisse; Philippe,
Orpheus diceris tu novus Illyriae;
Namque pii vatis formati ut legibus illi
Floruerunt, florens haec quoque semper erit;
Et quoties mutata suos mirabitur orsus,
Teque, tuumque memor nomen ad astra feret.

Ad Antonium Julium Brignole Sale,

et Annam Mariam Pieriam, Novos Conjuges.

Ah! pereat laurus, pereant jam munera vestra,
Castaliae, o frustra numina culta, Deae!
Quum mihi non licuit celebrare jugalia vincla,
Vincla, volans paphià quae tulit arce Venus;
Quaeque animos jungent vestros concordibus usque
Auspiciis, Juli, candida et Anna, simul.
Quod tamen haud licuit nunc vobis solvere munus,
Solvam, quum fuerit factus uterque parens,
Prolis uterque parens faustae, quae matris honorem
Formosae referat, quae patris ingenium.
Auguror: hinc Ligurum plausere in montibus arces,
Hinc plausit Thuscis Arbia laetus aquis.

Ad Petrum promissa non servantem.

Quas mihi pollicitus quid Petre heus! mittere chartas
Negligis? an tu etiam condis ephemeridas?
Ah! cave, sic fallas: satius quaesita negare,
Quam quae promisti, non subito efficere.
Primum illud durum est, et agreste; hoc acrius omnem
Perdit amicitiam, provocat et nemesin.

Ad Paullum Gossaeum Balth. F. Rhac. de ejusdem Sponsae effigie.

Vidi, Paulle, tuam nativâ in imagine Sponsam,
Et cupido lustrans os, habitumque oculo,
Felicem ah! dixi; nec enim vel blandius illâ,
Vel tenero est quidquam conjugi amabilius.
Sic glaucis et spirat amor suffusus ocellis,
Et roseo in labro candida simplicitas.

In Venerem.

Quid faculam, Venu vafra, quatis, qua nil agis in me?
Tutus ero; hoc alia in pectore flamma viget;
Igne suo meme tetigit Gonzaga, nec illum
Idaliae tota est vis potis opprimere;
At contra hance tuam faculam sat spiritus oris,
Incita Aloysium quo semel aura sonet.

BEATAE VIRGINI

Votum.

Hunc tibi diffractum nitrati pulveris igne
Bernardus vovit, Diva beata, tubum;
Innocuus fuerit quod tanta in mole perioli,
Senserit et praesens numen, opemque tuam.

De effigie quadam Pueruli JESU.

Ambrosium nuper Jesseae Matris amorem,
Ceratâ puerum vidi ego in effigie;
Ille cor in manibus teneris, et vincla gerebat:
Igneolum cor erat, vincla sed aureola.
Obstupui charâ flagrans in imagine; dumque
Carpere suave inhio suaviolum ex animo,
Discupiens hoc ipsum animus me sponte reliquit,
Et pueri vinclis haesit in aureolis.

De explosione tormentorum in festo sancti Blasii.

Blasi sancte, tuo laetus dat quidquid honori
Hic populus; charum est id proprie ex animo,
Sed quod continuo tonitru fragor intonat aures,
Quas mî nescio quis pessimus humor habet,
Ingratum est, fateor, praesertim quum tibi credam
Esse nec id charum, nec nimium volupe.
Vota magis, supplexque animus placet; haec tibi dono,
Sentiat et sanctam tu face pestis opem.

Ad Dominicum Garagninium
cum illi nonnulla carmina mitteret.

Garagnine, oculos dum mi malus aegror adurit,
Dictavi haec Latiis condita verba modis,

Queis tibi, quo teneor, dulcem testarer amorem,
Donarem atque aliquod pignus amicitiae.
Parva quidem refero munuscula, sed, nisi fallor,
Non leve materies splendida dat pretium.
Maeonidae sunt digna tubà, quae scribimus; at mi
Non os Maeonidae contigit, ast oculi.

In discessu Mathildis Zamagnae *Valvassoniae.*

Ah! cur tam propere patrias discedis ad oras,
Visaque vix laudum lumina tanta rapis?
Quò te fert levis aura, ibunt et corda, Mathilde,
Nostra per Adriacum fixa dolore salum:
Atque utinam vel chara minus, vel nota fuisses
Longius; haec levior cura, abeunte, foret.
De nobis sed quidquid erit, tu vive beata,
Vive memor nostri, vive et amata Viro.

De Navi Bete

Sic e nomine adscititio Marini Ghetaldi
Mathematici Rhacusini dicta.

Ad Fratres Senchicides *Rhac.*

Felix Senchicidum Navis! Betes inclytus ille
Et maris et terrae mensor it usque comes.

Ipse suo aeternum peperit ceu nomen et antro
Clarus in Illyriis alter Apollonius;
Sic te etiam proprio dictam de nomine ab undis
Incolumem, et duris protegat a scopulis.
Auspice nil tanto metuas; immensaque semper
Dives opum Dominis munera salva refer.

Ad eosdem.

Pulchior Illyrios quotquot liquere recessus
Vatis ut e magno nomine dicta Betes,
Sic etiam cunctis felicior ito per undas,
Semper et ad patrios salva redito sinus.

Ad Chloridem iratiorem.

Quid tibi, laudarim si pulchram Amaryllida, Chlori?
At tu non multo es pulchior, et melior?
Ira malum est: pone Argivas, et Achaïdas omnes;
Omnes tu vincis laudibus, et charisin.
Invideat quin ipsa Venus, si candida rides,
Si incedis, Juno maxima Caelicolum?

Ad Franciscam Chersam Androvichiam
sub nomine Phyllidis de ejus effigie.

O et Praxitelis spiranti in marmore digna
Stare, et Apellaea, Phylli, nitere manu,

Cur petis ah, vidi quam pictam nuper, imago
Num pulchra, et similis vultu habituque tibi?
Esse ajo pulchram, similem nego: namque venustas,
In te quae ridet plurima, nulla micat:
Pictori sed parce tuo: describere saeva,
Ut sunt, formosas saepe vetat Nemesis.

Ad Josephum Chersam Antonii Filium Rhac.

Quid? Patruus caro fratri nil liquit habendum?
Non ita: sed mecum dividat, inquit, opes.
Dixit; et amplexus fratrem, Lacedaemone major
Et Romà, partem sumere sponte jubet.
O vere Philadelphe, o Chersa nobilis, omni
Et titulo, et claro nobilior genere,
Gaude animo hoc generoso, in quo jam ponere virtus
Aram fraternae possit amicitiae.

Argumentum verum sub ficto nomine.

Hirtus aper cupido jam dente petivit Adonim,
Et nudum laesit captus amore femur.
Scorpius hinc didicit nunc mollia lina subire,
Ac niveum Glycerae pungere fraude latus.

Lude vafer; tamen, ille usto ceu dente piavit
Luxuriem, poenas tu quoque fraudis habes.
Sat spectare, scelus sed claram est laedere formam;
Cypridos ultrices namque habet illa manus.

Ad Cl. Virum de Larenthy.

Carmina quae dederas Malajaca, o docte Larenthi,
Ecce tibi ludens musa Latina refert;
Oceani eois ut finibus India certet
Dulce sonans Latiis aemula Pierisin.

Epigramma Malajense.

Quid juvat heu frustra succendere lampada velle,
Intus ubi injecto fomite cassa vacat?
Quid juvat et dulci defigere lumina vultu,
Irrita ubi certo gaudia fine carent?

Aliud.

Eja age vicino, mea nympha, in flumine membra
Ablue: ego custos te prope chara moror.

De sua Odyssea ad Iliadem Cunichianam.

Non Latias ito florens jam sola per urbes
Ilias: en sociam quaerit ubique soror.
Da timidae dextram, nec cultu elata superbo
Nomen Odysseae noscere saeva neges.
Tu prior es, meliorque: utque est me cedere dignum
Cunichio, cedit sic minor ista tibi.

De sua Villula Canalensi ab hostibus incensa.

Villula structa mihi, nuperque educta sub auras
Prospectans viridem planitiem Enchelidûm,
Barbarus innocuam cur te male perdidit hostis,
Et nigros vertit semirutam in cineres?
Atqui tu aucupio, non bello accomoda, gratum
Praebebas Musis, et domino hospitium;
Nunc neque venatu celebris, neque idonea Musis
Horres lucifugas nocte silente feras.
At te, si poenas fas ulli exposcere ab hoste,
Sic utinam perdat flamma, tuamque domum!

De seipso, et suis carminibus.

Sat lusi: primum dicta est resonabilis echo;
Dein emissa vias cymba per aërias;

Post Ithaci longos ausus describere cursus,
Et Latio Ascraei reddere dicta senis;
Tum Siculi pavere Arethusae ad murmur olores,
Et statuere leves inter Hamadryadas.
Multa etiam multis de rebus carmina finxi,
Quae fors cumque tulit, quaeque Thalia dabat.
Nunc senui: dulces linquendi Aganippidos haustus:
Jam propior tacito Parca stat atra pede.

Cum auctor ventris flatibus afflictaretur.

Nec fractum mortis telum est; atqui ipsa senectus
In se habuit quidquid roboris, exeruit.
Quod si aliud pariter violentum intorqueat, haud est
Quae possit contra vis reliqua opprimere.
Oh quid agam? nostrae vitae Deus arbiter, in te
Perfugium: hoc praestes, impiger ingrediar.

Aliud.

Non sic intonuit flammatis Lipsia bombis,
Non Vaterloi' sic regio infremuit,
Ut fremuit, non ferro, at ventre inclusa sub imo
Se se intestinis motibus aura agitans.
Ac si non subito, via aperta, erumpere quisset,
Stravisset penito me misere exitio.
Sic non dira venena, aut mortis tela tulissent,
Saevior at multo flaminis ira foret.

In laudem Josephi *II., et* Catharinae *II.*

Hinc meus en Caesar, movet hinc adsueta triumphis
 Agmina ab Euxino jam Catharina salo.
Mars simul, et Bellona animis concordibus arma
 Exacuunt, belli fulmen utrinque tonat.
Necdum etiam Odrysiis fugientibus ostia pandis,
 Bosphore, et adversum littus adire jubes?
Tunc cupies frustra, cum caesa cadavera cernes
 Hellespontiaco sparsa natare freto.

Dum Augustus Albam

Novam obsidione teneret ad Rhacusam.

Quid trepidas, Epidaure, mea o Patria inclyta? Caesar
 Fulminat Odrysium, Marte favente, solum.
Jamque Novae validis consedit in arcibus Albae
 Illa avis Austriacae dux fera militiae;
Ac geminum vertens hinc atque hinc aspera collum
 Europam latè prospicit, atque Asiam;
Hanc et Othomanidis sedem fugientibus, illam
 Destinat Augusti Caesaris Imperio.
Si fueras quondam non aequis chara Tyrannis,
 Oh quanta a justo Caesare dona feres!

De expugnatione Tauruni.

Convaluit Caesar: subito novus exciit ardor
Agmina, et Austriacos hostica ad arma furor.
Martia Tauruni ceciderunt moenia, et Ister
Threicio tumidas sanguine volvit aquas.
Auguror: aspiciet Bizanti in vertice sedem
Figere fulmineas Luna bicornis aves.

Olbia strata armis CATHARINAE *II.*

Victa Borysheneas quae protegit Olbia ripas,
Russiacae sensit robur, et arma Deae;
Famaque confestim Byzanthi ad moenia cursum
Torsit, et ignavo corda metu inficiens,
Heus, fugite, inclamat: Tritonidos aemula magnae
Instat, et Odrysias fulmine vertit opes.

DE PII *VII. Pont. Maximi Romam reditu.*

Septimus ecce Pius Romam redit: impia lugent
Tartara; magna hilarant gaudia Caelicolas.
At vos, magnanimi o Reges, qui Tibridi ovantem
Redditis, in caelum publica vota ferent:
Relligio dum stabit, et almae moenia Romae,
Claviger Augusta Petrus ab arce teget.

Ad Franciscum I.

Imperatorem, ac Regem Austriacum.

Gallia victa, hostes fusi, patefactaque Regi
Lutetiae ad sedes, et sua sceptra via,
Redditus Italiae splendor, Germania vinclis
Exuta, ac forti monstra fugata manu,
Et percussa novo Regum sacra foedera jure,
Theutonica et socio milite tecta salus,
Unde per Europen latè pax aurea regnet,
Et morum, et purae relligionis honor,
Haec, Francisce, tuae laudis monumenta; nec ullum
Altius ad culmen gloria vexit Avum.

In ejusdem Rhacusam adventu.

Musarum heu clades Senium! Si qualis ad Arnum
Jam fueram, et ripas laetus ad Eridani,
Pulchra ubi Calliope, Smyrnaeque, Ascraeque docebat
Attica Romano reddere veba sono,
Non levius donum nunc, Caesar Magne, referres,
Quam tulit et Genitor (1), quam tuus et Patruus (2).
Aetas prima abiit, dulcis vox liquit, et apta
Copia pangendis laudibus illa tuis;

(1) Alteri Homeri Odyssea.
(2) Alteri Hesiodi opera dicata.

Haec habeas extrema, lyramque, et laurea serta,
Quae dicat ante sacros muta senecta pedes.

Ad eumdem.

Quae nova lux oritur nulli per secula visa,
Quique tibi fulget, laeta Rhacusa, dies!
Caesar adest, Cives gaudete; haud ille triumphos
Quaerit, at optatae munera pacis aget.
Quantus amor populorum, et qualis gratia in omnes!
Non princeps dici, sed Pater ipse cupit.
Caesar adest: unà Conjux Augusta renidet,
Fundit et omnigenae laudis ab ore jubar.
Fallimur? Illyrias an visit Jupiter oras,
Et Juno? certe dignus uterque coli est.

Ad eumdem.

Si cuperet quod mens, posset quoque copia, Caesar,
Non te splendidius Vindobona exciperet;
Namque illi nec amore, fide neque cedimus: isto
Praecipuam sedem pectore dignus habes,
Sed quoniam duri partim inclementia caeli,
Atrox partim omnes contudit hostis opes,
Nil reliquum est, salvo tibi ni cupere omnia fausta,
In quo uno nostra est spesque salusque duce.

Ad eumdem.

Multos et casus, et multa et longa viarum
Taedia Tu, Princeps, haud subiise times,
Deliciis opibusque et spretis mollibus aulae
Illecebris, lustrans ut nova regna juves.

Illyrium hinc felix, jam disce, in Caesaris insit
Largifico Augusti pectore quantus amor.

Ad eundem.

Haec scripsi aegrotans, non quod tibi nostra placere
Posse ulla, o Princeps optime, scripta putem;
Sed modo uti videas, vim contra aestumque doloris
Quidquid adhuc audet spiritus, esse tuum.

De virtute Hispanorum in bello.

Exere jam longo tandem certamine victor
Cinctus arundineis, Ebre, caput foliis,
Et natis tu plaude tuis, quos Roma valentes
Sensit, et immenso milite fusus Arabs;
Nunc Galli ante alios experti: maxima virtus,
In Regemque fides, quae potis esse, fuit.
Hinc sileant decora illa licet, veteresque triumphi;
Clarior hoc bello gloria parta sonat.

De expeditione Gallorum in Britanniam.

Vix tot in Argivos armavit millia quondam
Ille soli Xerses arbiter et pelagi,
Agmina quot Galli ducunt assueta triumphis
Defensum oceani fluctibus ad Tamesin.
Jam Salamis, Maratonque fuit: non altera surget
Miltiadae, et magni fama Themistocleos.

De virtute, ac humanitate
Alexandri Russiarum Imp.

Moscua, Alexander, non frustra concidit: ultrix
Fundit hyperboreas arctos ab axe nives;
Naufraga Sarmaticis jam Gallia mergitur arvis,
Et vix cum paucis dux fugit actus equis;
Lipsia uti videat fugientem rursus, et altum
Trans Rhenum e magna caede superstes eat.
Tergo instas tu contra, et victor ubique paventi
Pacem Lutetiae, non mala vincla geris;
Dicite nunc gentes: quis in hostem aut fortior arma
Induit, aut cujus lenior ira fuit?

Regis Friderici Magni
ad Frid. Willelmum, et ad suos Borussos
ab Elysiis gratulatio.

Vos iterum nosco, fortes, mea fama, Borussi,
Quemque olim vidi me duce, vivit honos.
Vivit sub te idem, Friderice; meoque nepoti
Gratulor amissum sic reparasse decus.
O mihi, quum primum rupisti foedera Gallûm,
Pulcher in Elysio quam fuit ille dies!
Dignus Avo pugnas, et Mavors quidquid ademit,
Tu patriae victor moenia ad alta refers:
Nec plura e tumulo Magnus. Lux fulsit, et intus
Laetitia exiliere horrificâ cineres.

De NELSONE, *et* VELINCTONIO,

altero Regiae Anglorum classis, altero terrestrium copiarum Praefecto.

Graecia uti quondam mirata est tempore in uno
Miltiadae, et magni facta Themistocleos;
Anglia ductores sic bello vidit eodem
Nelsonem, et claram marte Velinctonium,
Queis virtus dedit ipsa, ut terris vinceret alter,
Alter in aequoreis vinceret usque vadis.

De NELSONIS *monumento.*

Hafnia, et Herculeae cautes, flammataque Nili
Littora Nelsonis stent monumenta rogo,
Queis Salamis cedat, Carthago et naufraga, et ipsa
Ad Tiberim Actiacae signa relata fugae.
Felix o tanta virtute Tridentifer! usque
Hostibus ipso etiam nomine terror eris.

De reditu BORBONIDUM *in Galliam.*

Borbonidae regnant, Mavors ferus exulat, ordo
Pristinus Europam possidet, arma cadunt.
Foedera conjungunt Reges, quibus aurea terris
Addita justitiae pax male pulsa redit.

De expugnatione Mantuae.

Quam Galli obsessam septenis mensibus urbem
Belli astu, et longa vix subiere fame,
Austriadae, et Russi vi viva, atque auspice magno
Caesare, post paucos hanc domuere dies.
Italiae i vindex Jovis ales nuncius, et dic
Lutetiae: cessit Mantua, Krajus adest.

Allegoria Patriae, Bello circum ingruente.

Chara mihi ah navis, nigri qui turbinis horror
Te captam in medio tam male dirus agit?
Tu procul a nimbis secura per aequora nabas
Parvula, lascivis delicium zephyris;
Nunc aquilo, atque auster conversis viribus urgent,
Circum et stant cautes, portus et omnis abest,
Dî Superi (quid enim tanto in discrimine restat?)
Vos facite, hoc fugiat semisepulta malum.

De HELENA BONA BOSDARIA *pronepte sua.*

Quid mirata tuam non cessas dicere cantu
Perpetuo pulchram, Graecia, Tyndarida?
Dignior haec Helene est, quae cum pulcherrima floret,
Tum longè eximiis moribus antevolat.
Quippe illam non Laeda procax, verum optima Mater
Ipsa suis natam laudibus excoluit.

Ad eamdem Filiolo edito.

Quem tu vitales fudisti nuper in oras,
O pulchro potior nomine Tyndaridis,
Ille puer si te referet quoque laudibus, ore
Ut similis, nullus charior alter erit.
Dî facite, ut laetam videam te semper, et ipso
Gaudeat incolumi per mea vota Pater!

In die natali Joannis Bosdarii
ejusdem Helenae mariti.

Sic tibi procedant semper felicius anni,
Jane, nec unquam Helenae tu videare senex.
Quamvis longa trahant tibi mites tempora Parcae,
Longaevo at vincas tempora consilio.

De Helena *eadem,*
quum solemni pompâ novum Vexillum Legionis
Austriacae Rhacusae sacraretur.

Vexillum de more novum dum lustrat ad aram,
Et sacro Praesul fundit ab ore preces,
Belligeros inter juvenes Bosdaria pulchra
Stans Helene summo proxima honore Duci,
Conjugis Augustae vice functa, et numine plena
Visa est Caesarea Conjuge digna loqui:

Ut clavum hunc figo, quem vis non nulla revellet,
Sic stet et Austriacae gloria magna Domus,
Sic Avis illa Jovis, sic et victoria bellis
Omnibus antevolans haereat usque comes:
Haec precor, haec, Superi, perferte ad Caesaris aures,
Dicite, et in nostro pectore quantus amor.

Aliud ad eamdem.

Ergo ego et Augustae fungar vice Conjugis? Et me
Hunc voluit primum laudis habere locum,
Quem cupiunt ipsae vel magno Caesare Natae,
Bellica cum Pubes signa novata capit?
Parcite, Rivales; non hunc mihi forma favorem
Obtulit, Austriaco sed calet igne sinus,
Pro quo non dubitem fortunae aut damna subire,
Ipsius aut vitae dira pericla pati.

In morte ejusdem Helenae Bosdariae.

Quae puerum rapuit vix natum Parca, eadem te
En rapit, o Helene, fama Epidauriadum;
Ut decor et probitas, nuptaeque exemplar honestae,
Functaque inoffensae forma pudicitiae
Hinc fugiant, aliisque locum scrutentur in oris,
Ah dolor! et natis occidit ante diem,
Conjugis et chari thalamo, cui vulnus adactum
Eximet e tristi pectore nulla manus.

De HELENA *Conjuge*
sic loquitur JOANNES BOSDARIUS.

Horrida vis aevi, charitum pudor, alma venustas,
Suavis et in pulchro corpore amabilitas,
Cura domus, sobolisque, et qualem accenderat ipsa
Pronuba fax primo tempore fidus amor,
Alternique joci, risusque, et dulcia verba,
Mutuaque unanimi gaudia conjugii:
Haec mihi nunc misero perierunt cuncta; nec unâ
Disperii? ah saxo durior ipse fui!

HELENAE *Filiolae ad Patrem.*

Cur, Pater, assiduo turgent tibi lumina fletu?
Moestus et ex imo corde trahis gemitus?
Ah nostra occubuit Genitrix, orbasque reliquit?
Nil Pater, at gemitus fortiter ingeminas.
Occidit heu! miseras duplex dolor enecat, angor
Patris luctisonus, matris et inferiae.

Filii BOSDARII *paulo ante in lucem emissi,*
ac demortui pro matre ad Superos vota.

Ut matris Puer aspexit jam vectus ad astra
Pallida lethifero membra jacere toro,
Chara parens, ego sum tibi tanti causa laboris,
Ipse ego te occidi, quod male natus, ait.
Vos, Superi, auxilium vos ferte, aut solvite morbum,
Aut potius mecum jungite Caelicolis;

Illa polo est meritis matura: haud vota fuerunt
Irrita; cum dulci est pignore juncta parens.

Ad Helenam Proneptem suam poëta.

Quas tibi nunc lacrymas, Helene charissima, fundo,
Debueras nostro fundere tu ceneri.
Tu viridi florens aetate, et robore praestans
Spondebas longos vivere posse dies.
Contra ego confectus senio, jamque ultima ducens (1)
Fila tuas ploro tristis ad exequias.

---

(1) Hoc Zamagnae Epigramma cum legisset Auctor hujus Commentarii, versus qui sequuntur ad eum misit:

Cum formam, ingenium, et mores, queis fulsit Hyella,
Dicere flebilibus versibus adgrederer,
Non tibi, Musa inquit, sed magno haec cura Zamagnae
Est data: nam morbo pressus ab ancipiti
Cum metam vitae extremam prope tangeret, olli est
Continuo a Superis reddita prisca salus,
Scilicet ut carae defleret funera neptis,
Aeternisque illam ferret ad astra modis.

In morte ejusdem Helenae Urbanus frater haec elucubravit.

I.

Post puerperii graves labores
Mortua est Helena, illiusque totam
Mors sic anxit acerba civitatem,
Ut, incredibili ingruente luctu,
Non consanguinei modo, atque amici,
Sed ipsum quoque vulgus, optimates,
Senesque, et juvenes quasi vir unus
Ereptam vehementius dolerent,
Nec mirum aedepol. Omnibus probantur,
Quae vere bona sunt, honoribusque
Virtus eximiis vigescit usque,
Si sit vera. Helenam efferebat aevi,

Sic voluit Pater ille hominum, qui fata gubernat,
Et juvenum sortes dividit, atque senum.
Sors tua te citius meritam devovit Olympo;
Me mea in hoc tristi detinet exilio:
Quod misero video mage tanto triste futurum,
Quanto tu mage mî dulce levamen eras.

Et formae decus elegantioris,
Auroque, et titulis domus renidens,
Nec non ingenium acre, comitasque
Omni usque officio, et lepore plena.
Sed mens candida, candidique mores,
Sincera et pietas, fidesque rara
Imprimis rutilabat, acriorque
Susceptae sobolis, domusque cura.
His illa, atque aliis bonis per urbem
Omnium ad se animos nitens trahebat,
Omnium veluti suo lacessit
Sol fulgore oculos, situque terras
Obducit misero, caput repente
Si intra intra nubila densiora condat.

II.

Felix Hyella! caelitum
Tu vivis inter gaudia,
Quo te juventa in florida
Matura virtus extulit.
At vivis in terris quoque,
Vivesque in annos plurimos
Morti superstes omnium
Per ora gentium volans.
Nam qui te amore avunculus
Amavit impensissimo,
Zamagna princeps artifex
Graeci, et Latini carminis
Dolore perculsus gravi
Te versibus flet aureis,
Illisque dulcioribus,
Queis blanda musa Flamini
Olim suae defleverat
Acerba Hyellae funera.

De eadem.

O Helena! o felix! quamquam pulcherrima vultu,
Laude animi an fueris pulchrior, ambiguum est;
Forma etenim, virtusque in te contendere visae,
Quae mage perfectum fingere posset opus:
Vicit neutra; tamen quiddam tu majus alumnâ
Terrigenâ ad caeli lucida templa fugis,
Nec raptam flemus; potius miramur in unâ
Corporis, atque animi tot viguisse bona.

De eadem morti proximâ
Filium amplectente, et deosculante.

Ah! cur tunc aderam, cum mater pallida letho
Se coram jussit sistere Blasiolum,
Quem manibus complexa ambabus, et oscula figens
Applicuitque sinu, proluit et lacrymis;
Ostendensque patri jucundi pignus amoris,
Huic, ait, et genitor, blandaque mater eris.
Rursum et nixa toro sponso dat, suscipit ille
Amplexum, et matris subtrahit ex oculis.
O luctum, o visum lacrymabile! Ego ictus acerbo
Aspectu, ut Niobe, saxeus obrigui.

De eadem.

Vixit Hyella parum, tantùm qui tempora vitae
Astrorum a motu (vulgus uti) enumerat.
Tempora qui censent vitae a virtutibus auctae,
Unanimes dicunt: vixit Hyella diu.

Ejusdem Helenae *Epitaphium.*

Fastu aliena, licet generoso sanguine nata,
Digna coli, nusquam visa placere sibi,
Non opibus gavisa, at verae laudis honore,
Bosdaria hoc tumulo deposita est Helene.

De ejusdem Effigie *ad Pictorem.*

Qualis erat, si vis Helenam describere, amice
Pictor, et ex aliqua parte referre decus,
Junonis sub fronte oculos, habitumque Minervae,
Et risum Idaliae fac imitere Deae;
Una sit e Charisin sed quae formosior, omnes
Anteit ambrosio sparsa pudore genas.
Nec tamen haec tota est: rarae divinior illa
Pars animae quanam pingier arte valet?

Ad Ducem Molitorem *cujus dextera*
soluta Rhacusae obsidio.

O Molitor, Gallûm dux inclyte, ab aethere nimbi
Ut celerem carpunt, flante aquilone, fugam;
Adventu fugere tuo sic moenibus hostes
A nostris, volucres et cupiere pedes.
Quare quod stat adhuc, servatque Rhacusa penates,
Hoc tanto debet salva, refertque duci.

De Ludovico Bertrando de Sturai
Gall. Cop. Praef.

En iterum Bertrandus adest: tu plaude, Rhacusa,
Experta egregii jam benefacta Viri;
Hoc duce magnanimo vitiorum turba tremiscit,
Virtutem contra praemia certa manent.
Nam quantum malefacta odit justissimus ultor,
Tantum etiam laudi spondet amicus opem.
Quid, si tela vocent? cernas non Marte minorem
Gallica in hostiles ducere signa manus.
Quare aequum est, nullà te vi, sed sponte volentem
Certare omnigenis morigeram officiis.

Poëta conqueritur de vigiliarum incommodo.

Scilicet a longâ metiri nocte laborem,
Hic meus est certè Sisiphio horridior;
Anxiferae noctis nam quaelibet hora videtur
Signifero immensum tramite solis iter.
Et vitam cupimus, morte et veniente pavemus?
O verè miseros, quos agit iste furor!

In obitu CATHARINAE RAGNINAE.

Et volui, et tentavi aliquid te scribere dignum
Heu! Catharina meis perdita lux oculis;
Sed cassus cecidit labor omnis: scribere quidquid
Occoepi, lacrymae protinus abluerunt;
Atque haerens imo fixus sub pectore luctus
Et verba et fractum subruit ingenium.
Sic ego quam nequeo tibi nominis addere famam,
Ipsa tua et virtus, et benefacta dabunt;
Queis certè magis usque et nota et clara vigebis
Saevae vim contra, juraque Persephones.

De eadem.

Ad URSATUM *Conjugem.*

O Ursate, abiit tua lux, quam fidus amasti
Per multa annorum lustra tuum ad senium
Morigeram, facilemque, et dia laude nitentem,
Mî rapta ipsius dulcis amicitia;
Quacum unâ totos et fando condere soles,
Tristiaque assueram, laetaque dividere.
Ergo quid potuit misero tibi acerbius usquam,
Quid mihi item misero tristius accidere?
Heu te aerumnosum tam charae funere Nuptae!
Heu me insperatâ perditum amaritie!

De eadem.

Quae fueras mihi chara, parens velut ipsa, sororque,
Aut si quid cuipiam charius esse pote,
Muta jaces; lepor ille abiit, quem propter adibam
Laetus amabilium te Charitum sociam,
Te unâ gaudebamque, tuoque affixus in ore
Quaerebam curis perfugium, et requiem.
Heu! heu! cuncta abiere! Tuo mens perdita fato
Omnes laetitias depulit ex animo!
Et per busta rapit dolor ingens, et supra inhorrens
Nox terret Stygiis luridior tenebris.
O Dea, amicitiam quae curas, mite levamen
Fer mihi, vel, quid agam, da bona consilium.

De eadem.

Has violas, haec texta nigrâ, Catharina. cupressu
Serta tibi aequalis dat chorus Illyridum,
Sacratosque ciet manes clamore supremo,
Altaque spectandum tollit ad astra decus,
Et circum assistens oculis turgentibus imbre
Frigidula effusis busta rigat lacrymis.
Sic parvo ingentem testatur munere luctum,
Addit et, o felix Tu mihi semper ave!

De eadem.

Multos post annos, quos tu, bona Ragnina, amicos
Et legis, et sancto foedere juncta tenes,
Cur te omnes servant, nisi quod tua plurima virtus
Feminei usque eadem nil habet ingenii?
Exacto ergo etiam celebrabere flore juventae,
Longa etsi ducas tempora Deiphobes (1).

(1) *Plura ex hisce Zamagnae carminibus, quae nunquam edita sunt, tradidit nobis Antonius Chersa Vir Clarissimus, olim auditor noster, qui Cunichii, et Zamagnae vestigiis insistens facit, ut Musae Latinae veluti in sua Sede Rachusii adhuc commorentur. Illa habuerat ab ipso Auctore, cui erat carissimus, et autographa servat religiosissime.*

BERNARDI ZAMAGNAE

INSCRIPTIONES.

I.

FRANCISCO . I. . IMPERATORI . AC . REGI
P. F. S. A.
Bello . Gallico . Conficiendo
Socio . Potentissimo
Coniectoqve . Bis . Victori . Generoso
Germanicae . Libertatis
Max. . Pontificvm . Ditionis
Regvm . Regnorvmqve . Vindici
Ac . Restitvtori
Sacro . Foedere . Percvsso
Post . Peragratvm
Novvm . Insvbriae
Ac . Venetiarvm . Regnvm . Conivnctvm
Aliasqve . Provincias . Imperii
Praesentia . Honestatas
Nvnc . In . Tam . Insperata . Qvam . Favsta
Perlvstratione . Totivs . Illyrii
Amplificando . Avstriaco . Dominio . Adsciti
Rhacvsa . Devotissima . D. S.
Pace . Terra . Mariqve . Parta
Plavdit.

II.

FRANCISCE . IMPERATOR . AVSTRIACE

Pater . Ac . Princeps . Optime

Aedes . Hasce . Mvnicipales

Avspicato . Ingreditor

Vtqve . Civitas . Haec . Omnis

Adspectv . Tvo . Praesentiaqve

Se . Maxime . Honestatam . Sentit

Ita . Stvdii . Erga . Te . Effvsissimi

Frvctvm . Aliqvem . In . Commvne . Bonvm

Sibi . Non . Immerenti . Polliceri

Sinito

Vive . Avgvsto . Felicior

Traiano . Melior

Mvltis . X. Et . XX.

F I N I S.

Errata-Corrige.

Pag.	11	lin.	8	MDCCXLIII		MDCCLIII
»	31	»	22	horificentius		honorificentius
»	106	»	4	assuscere		assuescere
»	113	»	1	vidimus		vividus
»	159	»	7	bibere		inhibere
»	182	»	23	proruere		procidere
»	194	»	14	Libantidas		Libanitidas
»	197	»	2	suave quum		quum suave
»	200	»	6	natos		nautas
»	—	»	13	aethesias		aethereas
»	253	»	25	medium		medicum
»	262	»	9	Vatis ut		Ut ratis
»	277	»	3	Horrida		Florida

JADERÆ

Typis Joannis Demarchi

AN. M. DCCC. XLI.